EDUARDI CORSINI ... DE MINNISARI ALIORUMQUE ARMENIAE REGUM NUMMIS ET...

Edoardo Corsini

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILI VIRO

PHILIPPO VENUTO

PRAEPOSITO ECCLESIAE LIBURNENSI
ET REGIAE HUMANARUM LITTERARUM,
ET INSCRIPTIONUM
PARISIENSIS ACADEMIAE SOCIO

EDUARDUS CORSINUS
ACADEMICUS ETRUSCUS
FELICITATEM.

VIdes quam facile & dignitati, & voluntati tuae morem geſſerim, VENUTI Clariſſime, dum officii, ac promiſſi memor hunc Regem, quem mihi iampridem ſpectandum, atque illuſtrandum obieceras, diademate quidem ſuo, regioque titulo inſignem; ſed nova tamen luce, meliorique, ut opinor, cultu a me exornatum

ad Te redire nunc patior. Ita nimirum barbari, atque ad hanc uſque diem incogniti Regis nomen, regnum, aetatem, fortunam, quae denſa fere caligine circumſepta fuerant, in lucem extulo, ut ille nunc demum Regibus aliis inſeri, eiusque Nummus in poſterum una cum ceteris eruditae Antiquitatis cimeliis Eruditorum oculis obverſari iam debeat. An vero ego rite feliciterque haec omnia praeſtiterim, accuratiores alii facile intelligent; Tuque omnium maxime iudicare profecto poteris, quippe qui ingenio, doctrina, atque accurata Nummorum, aliorumque veterum Monimentorum cognitione mirifice excellis; ideoque in hoc pulcherrimo, graviſſimoque ſtudiorum genere eximiam prorſus laudem non Italiae ſolum, ſed exterarum quoque Gentium conſenſione es conſecutus. Nihil eſt ſane quod in exprimenda praeſertim Numiſmatis facie, eiusque characteribus accurate exſculpendis optandum reliquerim. Etenim non modo ectypam ipſius imaginem diligenter expreſſi, quae olim Romae excepta a Te fuerat, dum Nummus

ipſe

ipſe a Palatio non inglorio Antiquitatis cultore aſſervabatur, mihique perhumaniter conceſſa a Te fuit; verum etiam imaginem ipſam cum argenteo Nummo conferre mox volui, quem in uberrimo, ditiſſimoque rariorum Numiſmatum theſauro Stoſchiano Florentiae conſpexi. Haec omnia tamen, ut optime intelligis, facile praeſtari a me poterant; ſimulque veteris Hiſtoriae praeſidio Rex aliquis inveniri, cui typus, ornatus, ſymbola, characteres omnes huic Nummo inſculpti adſcribendi viderentur. Id vero moleſtius, longeque, ut ingenue fatear, difficilius profecto fuit aeram illam exponere, quae Nummo inſcripta conſpicitur, ideoque in Parthica Arſacidarum epocha annum illum inquirere, qui tum numeralibus hiſce notis, tum Minniſari Regis aetati iam ex Hiſtoricis exploratae conveniret. Ea nimirum intelligi, ſimulque componi vix poterant, niſi Traiani Caeſaris iter in Parthos ſuſceptum ſexennio antiquius probaretur, quam communis, & conſtans eruditorum hominum ſententia ferat; praeſertim vero celeberrima Arſacidarum

epocha Uſſerio, Petavio, Noriſio, Spanhemio, Vaillantio, Froelichio, doctiſſimis nempe Viris probata refelleretur; eiusque cardo longe, quam ii putaverint, recentior oſtenderetur; ſimulque argumenta ſingula, quae contra novum huius aerae cardinem a me conſtitutum afferri facile poterant, perſpicua certaque methodo dirimerentur. Quicumque vero eiusmodi cognitionis amore ducitur, facile profecto intelliget quantum exinde ſplendoris, ac praeſidii in diſponendis Arſacidarum Nummis, veraque ipſorum ſerie, & hiſtoria contexenda oriatur. Id ego facile exemplis etiam illis oſtendi poſſe putaverim, quae ſuis in locis a me proferentur; ubi varios Vaillantii errores, peritiſſimi ſane viri, atque de eiusmodi ſtudiorum genere praeclare iam meriti, modeſte indicabo; quas ſane labes ex *Arſacidarum hiſtoria* Vaillantius ipſe abſterſiſſet, ubi ſupremam operi manum admovere potuiſſet. Quandoquidem vero in eruditae Antiquitatis ſtudio plurimae diſtinctaeque res occulto quodam, atque admirabili foedere coniunctae ſunt, ac fieri

certe

Digitized by Google

certe vix poteſt ut ipſarum aliqua ſubtilius exploretur, quin ceterae ſimul nativa quadam ſerie, ac veluti nexu devinctae repente non offerantur, in explicando Minniſari Regis Nummo plurima tum ſacrae, tum profanae hiſtoriae capita ſubinde illuſtravi; varia Scriptorum loca emendavi; hiulcum Diodori textum ſupplevi; verum Darii Perſarum Regis genus oſtendi; Tiridatem alium Armeniae Regem Vaillantio prorſus incognitum adieci; aliaque id genus, quae diſſerenti mihi obverſabantur, meliori quo poterat ordine demonſtravi; non modo ut haec ipſa tum Parthiae tum Armeniae Regum cognitio additis etiam Critices, & Romanae hiſtoriae luminibus utilior foret; verum etiam ut aſperior illa Chronologicarum rerum diſquiſitio iucunditate quadam adſpergeretur. Quod ſi florentiſſimus ille Etruſcorum Academicorum Coetus, cui Tu nunc optimo maximoque iure annuo honore praeſides, hoc induſtriae, ac laboris mei ſpecimen probaverit; Tuque inprimis hoc operis imperio, auſpicioque tuo ſuſceptum ſuffragio quoque, ac

Digitized by Google

indicio tuo ornaveris, alacrius ad cetera proferenda ego incendar, quae iampridem de plurimis Graecarum Urbium Nummis adnotavi, ut ipſarum ſeries a Cl. Harduino contexta, additis centum ac quinquaginta Urbium aliarum Nummis, quae in ipſo deſiderantur, uberior, atque illuſtrior habeatur. Interim vero quaeſo obteſtorque ut exiguum hoc obſervantiae in Te meae, ſimulque memoris gratique animi monimentum, ea qua cetera complecti ſoles humanitate complectaris, meque tui amantiſſimum amare pergas.

Piſis nonis Decembribus anni 1753.

Digitized by Google

§. I.

Minniſari Armeniae Regis Nummus, atque Aera ipſi inſcripta, expoſita Regis huius aetate, ac fortuna, explicatur.

MInniſari Regis Nummus, quem ipſe omnium primus in lucem hic profero, argenteus, ac tetradrachmus eſt: cuiuſmodi fere plerique Parthorum, atque Armeniorum Regum Nummi eſſe ſolent. In principe, vel antica eius facie ſenile Regis caput diademate ornatum, promiſſis capillis, longaque barba inſigne conſpicitur; in adverſa vero vir nudus veluti cippo inſidens exhibetur, qui ſiniſtra quidem ad cippum demiſſa ipſi inſiſtere videtur; dextera vero elata clavam ad dextrum uſque genu pertingentem ipſique fere incumbentem ſuſpenſam tenet. In ſiniſtra areae parte characteribus a ſummo ad imum tendentibus in extimo quidem verſu legitur. . AϹIA . . in interiori vero MINNIϹAP . . in dextra autem ante ſedentis viri faciem litteris item ſuperne deſcendentibus ΣΩTHIP. .

Digitized by Google

infra ſedentis viri pedes characteres ΤΛΓ ; inter elatam dextram, ipſique ſubiectum genu character K; denique prope ſedentis vultum monogramma ΙΑΙ impreſſum conſpicitur: ut proinde, ſublatis erroribus, ſuppletiſque lacunis, integra inſcriptio eſſe debeat ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΝΝΙΣΑΡΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΤΛΓ. *Regis Minniſari Servatoris*. Anno 333.

Si Regis facies huic Nummo impreſſa cum ceteris hactenus vulgatis Regum vultibus conferatur, nulli propemodum ſimilis deprehendi illa poterit; quamvis promiſſa coma, barba, ac diadema in pleriſque Arſacidarum Nummis occurrant. Hic ipſe tamen adverſae partis typus in duplici *Monneſis* Parthorum, ſive Armeniorum Regis Nummo conſpicitur; quorum alter a Vaillantio *(a)* cum epocha ΤΚΒ. alter a Maffeio *(b)* deſcribitur cum epocha ΤΚΕ. atque in utroque legitur ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΜΟΝΝΗϹΟΥ ΣΩΤΗΡΟϹ *Regis Monneſis Servatoris*; ac Vaillantius optime exiſtimavit in adverſa Nummi facie Herculem cippo inſidentem, clavamque laeva (*dextra* dicendum erat) geſtantem exhiberi. Itaque haec maxima affinitas, quae inter *Monneſis* ac *Minniſari* Nummos reperitur, ſive diadema, crines, & barbam, ſive potius characterum ordinem, ſitum, atque aeram, praeſertim vero adverſae partis typum conſideres, facile, ut opinor, certoque oſtendit *Minniſarum* hunc Armeniae, aut Parthiae Regibus accenſendum eſſe, quibus Monneſes ipſe Vaillantio, ac Maffeio iudice adſcribi debet.

Nihil eſt autem cur in inquirendis cauſſis hic immorer, quibus in Monneſis, ac Minniſari noſtri Nummo *Herculis* effigies inſculpta fuit. Facile nimirum hoc ad veterem conſtantemque famam referri poterit, qua Armenii a Theſſalis oriundi dicebantur *(c)*, adeoque facile

(*a*) Hiſtor. Arſacid. p. 339. & Geſn. Tab. I. num. 26.
(*b*) Gall. Antiqu. Epiſt. 22. pag. 114.
(*c*) Strab. Lib. XI. pag. 530. Iuſtin. Libr. 42.

Digitized by Google

facile cum ritibus aliis Herculis quoque cultum ad Armenios, ac Parthos tranſtuliſſe videntur. Fortaſſe tamen veriſimilius uterque Rex, qui ΣΩΤΗΡΟC *Servatoris* titulo gloriabatur, *Herculem* in Nummis expreſſit, qui mortalium plurimos tyrannidis, ac ſervitii jugo preſſos liberavit, ipſorumque *Servator* vocari meruit. Quicumque vero charactere K, qui in Minniſari Nummo conſpicitur, urbem illam deſignatam exiſtimet, in qua Nummus cuſus fuerit, is facile plures in Parthia, Meſopotamia, aut Armenia urbes inveniet, quarum nomen ab eo charactere exordiatur; cum certe character ille nota numeralis eſſe non poſſit, qua annus ab inito regno deſignetur, ut inferius demonſtrabitur; ceteraeque litterae Π A ſimul implexae non aliud, quam artificis aut monetarii nomen, contineant.

Quandoquidem vero in Scriptoribus, ac monimentis aliis, quae ad haec uſque tempora pervenerunt, nullibi ſane *Minniſari* nomen occurrit, ſed a Dione ſolum *Maniſarus* quidam Armeniae, ac Meſopotamiae Rex memoratur; ac Minniſari noſtri aetas, aera nempe Nummo inſcripta, cum ejus Maniſari aetate mire conſpirat, nullus propemodum dubito, quin Nummus iſte, quem illuſtrandum ſuſcepi, ad Maniſarum Armeniae Regem a Dione memoratum referri debeat.

Ut autem id clariori quo poterit ordine demonſtretur, ſimulque Minniſari noſtri nomen, aetas, regnum, ac fortuna accuratius oſtendatur, ex variis Parthicae ſimulque Romanae hiſtoriae Scriptoribus obſervaſſe iuverit quod primis fere Traiani Auguſti temporibus, qui anno V. C. 851. imperium ſuſcepit, Pacoro Parthorum Regi *Choſroes*, (*a*) aut *Coſdroes*, (*b*) ſive ut ab aliis vocatur, *Oſroes* (*c*) ſucceſſit; quemadmodum Tiridati, qui Armeniae regnum anno V. C 819. a Nerone obtinuerat, Exedares filius ſucceſſerat. Exedarem autem hunc Choſroes Parthorum rex Armenia ſpo-

(*a*) Vid. Vaill. p. 305.
(*b*) Aurel. Vict.
(*c*) Dio Lib. 68. & Excer. Legat. num. 56.

ſpoliavit, ut regnum illud Parthamaſiridi tribueret, qui ex Dione quidem Pacori filius, & Choſrois ex fratre *nepos* videtur; ſed vere tamen, ut emendato Dionis textu oſtendit Tillemontius (*a*), Choſrois eiusdem frater erat: quum Choſroes ipſe non Vologeſis, ut ex depravato Dionis loco putavit Vaillantius, ſed Pacori filius eſſet. Quum vero Traianus imperii Romani iura, ac maieſtatem violatam eſſe cenſeret quod Armeniae Rex Parthamaſiris (non Exedares, ut putavit Tillemontius) a Parthis intruſus, non a Caeſare electus eſſet, anno V. C. 859. in Orientem bellum Parthis illaturus conceſſit; dumque Athenis degeret, a Choſroe tum munera, tum Legati advenere, qui Choſroi quidem pacem, Parthamaſiridi vero regiam Armeniae coronam impetrarent; quod Exedares neque in Parthos, neque in Romanos officii memor, adeoque merito expulſus diceretur. Traianus autem, repudiatis Parthorum muneribus, Legatis reſpondit ſe, cum demum Syriam inviſiſſet, ea, quae fieri par foret, curaturum. Deinde vero memorat Dio quod Traianus tum *Abgari*, tum *Manni* Legatos audivit; Parthamaſiridis vero litteras, quas ille prius adhibito, mox diſſimulato *Regis* titulo ad Caeſarem dederat, contempſit; quumque ipſum Traianus Elegiam Armeniae urbem adveniens excepiſſet, omnem retinendi regni ſpem ipſi ademſit, quippe qui diceret Armeniam non alteri, quam Romano Populo, ſe conceſſurum. Itaque praeſidio opportunis Armeniae locis impoſito Traianus Edeſſam venit, ibique primum Abgarus Oſrohenes, quae Meſopotamiae pars eſt, Phylarchus aut Regulus Traianum adivit, quod antea facere detrectaverat, (*b*) ὥςπερ ὁ Μάννος ὁ τῆς Ἀραβίας πλησιοχώρου, ὁ Σποράκης ὁ τῆς Ἀνθεμουσίας Φύλαρχος *ut Mannus Arabiae finitimae*, & *Sporaces Anthemuſiae* in Meſopotamia *Phylarchus*. Interim vero Dione (*c*) teſte τοῦ Τραιανοῦ ἐς Μεσοποταμίαν

ἐλθόν-

(*a*) Hiſt. Imper. in Traian. art. 28. & not. 18.

(*b*) Dio Lib. 58.

(*c*) Libr. 59.

Digitized by Google

ἐλθόντος, ϗ τοῦ Μάννου ἐπικηρυκευσαμένου, ϗ τοῦ Μανισάρου Πρέσβεις ὑπὲρ εἰρήνης, διὰ τὸ τὸν Ὀσρόην ἐπιστρατεύειν αὐτῷ πέμψαντος, ϗ τῆς τε Ἀρμενίας, ϗ τῆς Μεσοποταμίας ἑαλωκυίας ἀποστῆναι ἑτοίμως ἔχοντος, οὔτε ἐκείνῳ πιστεύσειν τὶ ἔφη πρὶν ἀνελθὼν πρὸς αὐτὸν, ὥσπερ ὑπισχνεῖτο, τοῖς ἔργοις τὰς ἐπαγγελίας βεβαιώσῃ, ϗ τὸν Μάννον ὑπώπτευεν *quum Traianus in Meſopotamiam veniſſet, ipſique pro componenda pace praecones, & Legati miſſi forent tam a Manno, quam Maniſaro, cui bellum Choſroes inferebat, ideoque ſe hic Armenia, ac Meſopotamia, quam ceperat, diſceſſurum promitteret, nullam Maniſaro ſe fidem habere dixit, priuſquam ad ſe profectus, quemadmodum pollicebatur, promiſſa factis confirmaſſet; Mannum vero ſuſpectum habuit*. Hinc Traianus Adiabenem ingreſſus, mox Niſibi, Batniſque occupatis *Parthicus* ab exercitu vocatus fuit, expulſiſque Regulis omnibus Armeniam, ac Meſopotamiam in Romanae Provinciae formam redegit: unde in Nummis Traiano mox cuſis legitur: *(a) Armenia, ac Meſopotamia in poteſtatem P. R redactae*. Sic optime in Eutropio (*b*), & Feſto (*c*) dicitur *ſub Traiano Principe Regi maioris Armeniae diadema ſublatum eſt; & per Traianum Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, & Arabia Provinciae factae ſunt;* quinetiam Eutropius, eiuſque Graecus Interpres Paeanius *Parthamaſiridi*, ſive, ut is appellat, *Phartoſiridi* non diadema ſolum, ſed vitam quoque ereptam fuiſſe dicit. Quandoquidem vero aut in Nummis, aut in Scriptoribus illis nihil omnino de Parthia, vel Choſroe memoratur, dubitari ſane vix poterit quin Traianus ipſi placatus ei Parthiae regnum confirmaverit. Certe Aurelius Victor res a Traiano geſtas enumerans ait: *imperati obſides Perſarum Regi nomine Coſdroe*, adeoque Parthiae regnum eidem Choſroi relictum eſſe demonſtrat. Accedit etiam quod ubi primum Traianus in Orientem pervenit, Choſrois, ac Parthorum res mire florebant,

(*a*) Vaill. Tom. I. pag. 47. (*c*) Cap. 14.
(*b*) Lib. VIII. c. 3.

bant, ut is Exedari & Maniſaro Armeniae Regibus bellum inferre, ac Parthamaſiridi fratri Armeniae regnum vindicare potuerit. Ubi vero Traianus extremis etiam Orientis finibus peragratis Babylonem conceſſit, ipſam fere deſertam invenit *ἅτε καὶ τῆς τῶν Πάρθων δυνάμεως ἐκ ἐμφυλίων πολέμων ἐφθαρμένης, καὶ τότε στασιαζέσης quum Parthorum potentia civilibus bellis imminuta foret; ac tunc quoque* inter illos *ſeditio reperirietur*.

Itaque perſpicue apparet quod in primo Traiani adventu nullus omnino Romanorum Praeſes in Parthia conſtitutus, ſed Parthis ipſis imperium relictum fuit; ut proinde mox Parthi non Romanis infeſti, ſed civilibus ſolum diſcordiis diſcerpti, turbatoque Choſrois imperio vexati fuerint.

Pleraque ex his in Oriente geſtis a Vaillantio (*a*) quoque in *Arſacidarum hiſtoria* fuſe, accurateque deſcribuntur; niſi quod ille Parthicam hanc Traiani expeditionem anno ſolum V. C. 865. ſuſceptam putavit; quemadmodum ſane Loydius, (*b*) Fabrettus, (*c*) Noriſius, (*d*) Pagius, (*e*) Baſnagius, (*f*) aliique plurimi Parthicum hoc iter poſt *ſextum* Conſulatum anno V. C. 865. a Traiano Romae ſuſceptum contigiſſe contendunt. Tillemontius (*g*) vero, quo certe nemo ſubtilius atque accuratius hanc temporum rerumque geſtarum ſeriem exploravit, Baronii, ac Petavii veſtigiis inſiſtens Parthicam hanc Traiani Caeſaris expeditionem exeunte anno V. C. 859. contigiſſe demonſtrat. Ut autem omnia, quae a Noriſio, ceteriſque propoſita fuerant, accurate explicari, ſimulque rite componi poſſint, Tillemontius ipſe obſervavit quod duplex Traiani in Orientem iter diſtingui debet; ut in primo quidem Traianus Armeniam, ac Meſopotamiam in Roma-

nae

(*a*) Pag. 305.
(*b*) De Ep. Ignat.
(*c*) De col. Traian. pag. 290.
(*d*) Epiſt. conſul. pag. 72.
(*e*) Critic. ad an. Chr. 105.
(*f*) Annal. Eccleſ. ad ann. 112.
(*g*) Hiſt. Imper. in Traia. Art. 28. & Nota 18. pag. 509.

Digitized by Google

nae Provinciae formam redegerit, Parthiaeque regnum Choſroi reliquerit; in ſecundo vero Parthis ipſis, ex. pulſo Choſroe, Regem alium conceſſerit.

Ac certe quidem Traianum Armenia iam pridem recepta Romam rediiſſe, iterumque Roma in Orientem profectum eſſe ex Nummis etiam oſtendi poſſe putaverim, ſi cum Dionis hiſtoria conferantur. Siquidem Scriptor ille quum dixiſſet Armeniam a Traiano Caeſare ſine praelio receptam, Romanoque Populo tributam eſſe, mox ſubdit *Ἀπήντων αὐτῷ οἱ τῇδε Σατράπαι, κ̀ Βασιλεῖς μετὰ δώρων. Παρθαμασίρην τὸν Ἀρμενίων ἐτιμωρήσατο. Ἐπεὶ δέ πᾶσαν τὴν Ἀρμενίων χώραν εἷλε, κ̀ πολλὺς τῶν Βασιλέων τὺς μὲν ὑποπέσοντας ἐν τοῖς φίλοις ἦγε, τὺς δέ τινας κ̀ ἀποθάνοντας* (legendum puto *ἄποντας* ut hi poſtremi veluti *abſentes* a prioribus, qui Traiano *occurrerant*, diſtinguantur) *ἀμαχεὶ ἐχειρῦτο, τάτε ἄλλα ἐψηφίζετο αὐτῷ πολλὰ ἡ Βυλὴ, κ̀ Ὄπτιμον, εἴτ᾽ ὖν Ἄριςον, ἐπωνόμασεν. Satrapae, qui regionem tenebant, Regeſque cum muneribus ei occurrerunt .. Parthamaſirem Armeniorum Regem punivit, captaque univerſa Armeniae regione Reges, qui deditionem fecerant, in amicorum numero habuit; quoſdam vero etiam abſentes abſque pugna cepit; eique tum alia plura decrevit Senatus, tum praeſertim Optimi cognomentum conceſſit*. Itaque ex Dione, & Zonara quoque *Optimi* nomen tunc primum Traiano Caeſari Romae conceſſum fuit, quum is Armeniam expulſo Parthamaſiride, ceteriſque Regulis omnino ſublatis occupaſſet; ideoque, cum in Nummis pluribus Romae percuſſis *Optimi* nomen Traiano tributum occurrat, *(a)* in quibus ipſe *Conſul V*. vocatur, dubitari certe vix poterit quin Traianus Armeniam ſubegerit, atque *Optimi* nomen obtinuerit ante annum V. C. 865. quo *ſextum* Conſulatum Romae ſuſcepit. Ita quoque, quum in Nummis aliis *(b) Optimi* titulus obſervetur, ſimulque *Profectio Auguſti* memoretur,

(a) Vaill. Tom. II. p. 121. Geſn. Tab. I. n. 78.
(b) Ibi, & Tom. I. p. 47. 49.

Digitized by Google

retur, facile exinde apparet Traianum etiam poſt ſubactae Armeniae tempus atque *Optimi* nomen ipſi tributum aliquando Roma diſceſſiſſe : quod fieri certe, vel explicari non poſſet, ſi ſemel tantummodo adverſus Armenios, ac Parthos anno V. C. 865. Roma profectus in Oriente obiiſſet. Haec ipſa quoque Traiani expeditio ante annnm V. C. 865. ſuſcepta pulcherrimo Antiochenorum Nummo (*a*) confirmari poterit, in quo perſpicue legitur: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Ε. *Tribuniciae Poteſtatis*, *Conſul V.* Etenim, ſi Nummus ille tum cuſus fuit cum primum Traianus Antiochiam advenit, ut Cl. Editor exiſtimavit, perſpicuum fiet Traianum in Orientem ante Conſulatum *ſextum*, adeoque ante annum V. C. 865. conceſſiſſe; quemadmodum ſane perſpicuis temporum characteribus adventus ille Antiochiam in Malelae hiſtoria (*b*) anno V. C. 860. tribuitur; atque in Actis S. Ignatii Martyris perſpicue diſerteque legitur quod Martyr ille *nono* Traiani imperantis anno, *Sura*, & *Senecione Conſulibus*, hoc eſt anno 860. ineunte Ianuario menſe, Traiano Antiochiae degenti, atque in Armenios, & Parthos moventi oblatus fuit. Denique eximius alter Traiani Nummus habetur, (*c*) in quo Caeſar ipſe ΑΡΙΣΤ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Optimus*, *Auguſtus*, *Germanicus*, *Dacicus*, *Parthicus* appellatur, ſimulque *decimus* imperii ipſius annus expreſſus conſpicitur. Ergo anno V. C. 861. in quem *decimus* imperii annus incurrit, Traianus iam *Optimi*, atque a militibus ſaltem *Parthici* nomen acceperat, ideoque Parthicum iter ab illo ſuſceptum ad annum V. C. 859. referri debet.

Itaque non ex Scriptoribus ſolum, quos Tillemontius accuratiſſime exhibuit, ſed ex Latinis etiam, Graeciſque Nummis, quos eo libentius hic protuli, ut vexatis adeo Ignatii Martyris Actis hinc etiam ſplendor, ac preaſidium accederet, oſtendi iam poterit quod duplex

(*a*) Vaill. Tom. II. p. 127.
(*b*) Libr. XI. init.
(*c*) Geſn. Tab. 80. n. 11.

plex Traiani in Orientem profectio agnoſci debet; ut in prima quidem Choſroi placatus obſides ſolum ab illo receperit, ſolaque urbe Niſibi, Batniſque ceptis *Parthici* nomen obtinuerit; in altera vero, cum Choſroes aut a Parthis ipſis expulſus foret, aut fidem Traiano obſtrictam violaſſet, Parthis ipſis novum Regem conſtituerit. Siquidem, Dione (*a*) teſte, cum Traianus occupata iam Cteſiphonte regia Parthorum urbe, *Parthicus* iterum a militibus appellatus eſſet, ad ultimas Orientis plagas penetraſſet, indeque reverſus Arabas, atque Armenios aliquid adverſus Romanos moliri deprehendiſſet, *φοβηθεὶς μὴ καὶ οἱ Πάρθοι τι νεοχμώσωσιν, βασιλέα αὐτοῖς δοῦναι ἐπέλησε timens ne Parthi quoque aliquid novi molirentur, proprium Regem illis dare decrevit*. Hinc Cteſiphontem rediens Exedaris filium Parthis Regem impoſuit, quem Dio *Parthamaſpatem*, Spartianus *Pſamatoſſirim*, Malela (*b*) *Parathemaſphatem* appellat; adeoque tunc primum in Traiani Nummis, in quibus is *Conſul VI* & *Parthicus* appellatur, *Parthia capta*, (*c*) & *Rex Parthus*, (*d*) & *Rex Parthis datus* (*e*) memoratur. Quandoquidem vero deinde *Parthi Partamaſpatem deteſtati regi ſuis moribus coeperunt*, (*f*) Hadrianus Traiani ſucceſſor *Pſamatoſirim, quem Traianus Parthis Regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis Gentibus Regem dedit* (*g*), Armeniis nimirum, qui in Exedaris eius patris defuncti locum eum petebant; quemadmodum Choſroes iampridem a Traiano pulſus annuente Hadriano Caeſare Parthorum regnum recuperavit; ut proinde Hadrianus ipſe Choſroem ad amicitiam invitaverit, ipſique filiam a Traiano captam reſtituerit (*h*).

B Per-

(*a*) Lib. 68.
(*b*) Lib. XI.
(*c*) Geſn. Tab. 75. num. 50.
(*d*) Vaill. Tom. I. pag. 50. & II. pag. 922.
(*e*) Geſn Tab. 75. num. 13.
(*f*) Dio Lib. 69.
(*g*) Spartian.
(*h*) Spart. cap. 7.

Perſpicua haec temporum, rerumque ſeries oſtendit quod Maniſarus ille, qui Dione teſte Armeniam, ac Meſopotamiam, aut certe ipſarum partem occupaverat, ſupplexque a Traiano pacem quaeſivit, nunqaam poſt primum Traiani in Orientem adventum imperavit; cum ipſe quoque Armeniam ultro cedere polliceretur, vereque mox Armenia ac Meſopotamia, ſublatis Regulis, ipſoque Exedare, & Parthamaſiride expulſis, in poteſtatem Romani Populi redacta, poſtremoque ab Hadriano Parthamaſpati Regi conceſſa ſit. Itaque Maniſari, ſive Minniſari Nummus poſt annum V. C. 859. cudi non potuit. Sed Nummus ille anno V. C. 853. antiquior eſſe non poteſt, quo Trajano iam imperium adepto Chosroes Pacoro patri defuncto in Parthiae regno ſuccedens Exedarem Armeniae Regem vexavit. Quin etiam facile Nummus ipſe ante annum V. C. 857. cudi non potuit. Siquidem Traianus, qui ſola *Parthici* nominis cupiditate, ut teſtatur Dio, bellum Armeniis, ac Parthis intulit, repente adverſus illos moviſſe videtur cum primum Choſroes Parthiae regnum adeptus Parthamaſiridem in Armeniae regnum invexit, ac Maniſarus Armeniae partem occupavit: alioquin, ſi Parthicus ille motus, Minniſari conatus, & Parthamaſiridis electio ante annum V. C. 857. contigiſſet, facile Traianus iniuriam Romanis illatam eius Palmae ductu, eoque exercitu repente ulciſci potuiſſet, quo anno V. C. 858. Arabiam adquiſivit *(a)*. Ergo, ut laxioribus etiam finibus utar, Minniſari Nummus inter annos V. C. 853. & 859. percuſſus fuit; iis nempe temporibus, quibus Choſroes expulſo Exedare Parthamaſirim fratrem ſuum in Armeniae regnum intruſit; ideoque facile dum Armenii civilibus hiſce diſcordiis implicati forent, Minniſarus Armeniae, ac Meſopotamiae partem occupavit; cuſoque Nummo ſe *Soterem*, patriae nempe adverſus Parthos vindicem, atque aſſertorem vocavit, cum tamen neque

(*a*) Dio Lib. 68.

Digitized by Google

neque *Regum Regis*, neque *Arſacis* nomen, quod Parthorum eſſe debebat, uſurpaſſet, ſed ſolo *Regis* titulo contentus eſſet. Itaque 333. annus Minniſari Nummo inſcriptus ab aera quadam, aut cardine deduci debet, qui neque anno V.C. 520 antiquior, neque anno 526. recentior eſſe poſſit, ut proinde 333. inde numeratus in aliquem ex intermediis annis illis inciderit, quibus Minniſarus in Armenia imperavit.

Ac initio quidem ſuſpicabar quod peculiaris haec epocha Armeniis tribuenda foret, atque ab eo anno veluti cardine duceretur, quo Artaxias ab Antiocho *Magno* Syriae rege Armeniis praefectus ab illo defecit, adeoque novum Armeniae regnum inſtituit. (a) Verum, cum Antiochus Magnus nonniſi anno V. C. 530. Syriae regnum ſuſceperit, cum Artaxias (b) μετὰ τὴν Ἀντιόχου ἧτταν *poſt Antiochi cladem* anno V.C. 563. a Romanis acceptam defecerit, cum denique Artaxias ipſe circa annum 590. ab Antiocho *Epiphane Magni* filio ſuperatus, captivuſque in Syriam ductus fuerit, facile intellexi longe ſerius Armeniae regnum, nimirum poſt annum V.C. 560. incepiſſe: ut proinde, ſi Armeniaca quaedam Epocha effingi poſſit, annus 333. in illa numeratus in annum fere V.C. 893. incideret, quo Minniſarus Armeniae regno exturbatus, aut etiam facile defunctus erat. Ergo ad celebrem Parthicam aeram confugiendum putavi, quae Armeniis ipſis communis eſſe iam poterat cum plures *Arſacidae*, aut *Parthi* in Armenia imperaſſent, ideoque facile a Minniſaro quoque adhiberi illa poterat, quod eam a Tiridate, Exedare, & Parthamaſiride Armeniae Regibus uſurpatam eſſe conſpiceret.

Huic tamen hypotheſi, quae maximam veri ſpeciem praeſetulerat, id facile opponi poſſe intellexi quod a Vaillantio, ceteriſque Chronologis omnibus aerae Parthicae initium ab anno V.C. 498. ſive 504. ducebatur; ideoque annus 333. in illa numeratus in

(a) Strab. Lib. XI. pag. 531. (b) Ibi p. 528.

Digitized by Google

annum V. C. 831. ſive 837. incidiſſet, quo nondum Choſroes, ac ne quidem Pacorus ipſe eius pater in Parthiae regno imperabat; ſed in Parthia quidem Vologeſes Choſrois avus, in Armenia vero Tiridates a Nerone Caeſare conſtitutus tranquille imperabant.

Miris eiusmodi ambagibus irretitus, ac varias in partes ſubinde impulſus illud unum ſupereſſe putavi, ut ſubtilius adhuc, ac diligentius inquirerem, an celebris ille, ceteriſque probatus Parthicae aerae cardo perſpicue certoque a doctiſſimis viris conſtitutus eſſet; tandemque rebus omnibus rite, ut opinor, perpenſis deprehendi Parthicam hanc, vel Arſacidarum aeram circa annum V. C. 524. incepiſſe; ideoque annum 333. in Minniſari noſtri Nummo exaratum non alteri, quam Parthicae huic aerae tribuendum eſſe nunc cenſeo; ſi tamen illa a veriori ſuoque cardine deducatur, quem modo oſtendendum ſuſcipio.

Digitized by Google

§. II.

Arſacidarum epocha anno V. C. 498. vel 504. adſcripta refellitur, & accuratior alia in anno 525. conſtituitur.

PArthicam aeram quamdam a primis uſque temporibus uſurpari, Regumque Nummis inſcribi conſueviſſe ex pluribus *Arſacidarum*, vel Parthiae Regum Nummis apparet, ex quibus hactenus *duo ac viginti* (a) numeralibus hiſce notis, vel Arſacidarum epocha inſignes prodiere, quibus alter hic Nummus a me nunc primum editus adiungi iam poterit. Itaque prorſus immerito Harduinus (b) veterem hunc Arſacidarum morem in dubium revocavit; atque, ſi unicum Vologeſis I. Nummum exceperis, nullam prorſus epocham Arſacidarum Nummis inſculptam putavit; quamvis alibi (c) in altero quoque Parthico Nummo aeram ipſam agnoverit.

Ingenue tamen fatendum quod in tanta veterum Nummorum copia nullus propemodum ſplendor affulget, quo eius aerae cardo perſpicue certoque conſtitui poſſit. Quum enim ſinguli Parthorum Reges uno eodemque *Arſacis* nomine vocarentur, atque illud ubique fere Nummis inſcriberent, Rex unus ab altero diſcerni vix poteſt; atque ex numeralibus notis, quae Nummis inſcriptae ſunt, ſive Regum aetate, ſi cum Ro-

(a) Vid. Froelich. Reg. Numiſm. pag. 74.

(b) Chronol. Vet. Teſt. pag. 620.

(c) Nummi Popul. p. 132.

Digitized by Google

Romana hiſtoria, certaque temporum ſerie conferantur, nihil propemodum exſculpi poteſt. Unicus eſt, niſi plurimum fallor, Vologeſis Nummus, ex quo praeſidium aliquod ſperari poſſit. Siquidem in illo Rex ipſe non ambiguo *Arſacis*, ſed proprio *Vologeſis*, nomine vocatur; neque ad Armeniae Reges referri ille poteſt, quemadmodum ſane Vologeſem alium ad Armenios referendum eſſe demonſtrabo. Eiuſmodi vero Vologeſes, ut ex Tacito apparet, (*a*) anno V. C. 803. imperium ſuſcepit, quumque ad Veſpaſiani Caeſaris tempora perveniſſet, illud moriens *Pacoro* filio reliquit, qui, ut a Martiale (*b*) erudimur, eodem ipſo tempore Parthis imperabat, quo Decebalus in Dacia impetum adverſus Romanos moliebatur. Itaque, quum Pacori, eiuſque amici Decebali motus inciderint in annum V C. 840. Vologeſis imperantis aetas annis V. C. 803. & 840. circumſcribi debet, iis nempe temporibus, quibus in Armenia Tigranes, Rhadamiſtus, ac Tiridates Vologeſis frater imperarunt. Quandoquidem ergo in huius Parthi Vologeſis Nummo aera TH 308. reperitur, inito calculo perſpicue apparet quod Parthicae aerae cardo neque anno V. C 495. antiquior, neque anno V. C. 532. recentior eſſe poteſt; ſed iis terminis circumſcribitur, qui, quamvis ob diuturnum adeo Vologeſis regnum laxiores ſint, ceteris tamen certiores habendi ſunt, qui ex Hiſtoricis peti poſſent, quos hac in parte diſſidentes eſſe conſpicimus.

Ac certe quidem Ammianus (*c*) aſſerit quod Parthiae regnum *in vocabulum Parthi conceſſit Arſacis obſcure geniti, latronum inter adoleſcentiae rudimenta ductoris .. qui poſt multa glorioſe, & fortiter geſta ſuperato Nicatore Seleuco Alexandri ſucceſſore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum, praeſidiiſque Macedonum pulſis ipſe tranquillius agens ... medium agens curſum aetatis placida morte*

(*a*) Lib. XII. c. 44.
(*b*) Lib. IX. Epig. 36.
(*c*) Lib. XXIII.

Digitized by Google

morte deceſſit. Itaque, quum Seleucus ille *Nicator* Syriae regnum ab anno V. C. 442. uſque ad annum 474. occupaverit, Arſacis defectio, Parthicique imperii initium, aliquo ex intermediis annis illis contigiſſet. Sed Ammiani calculum, atque hiſtoriam refellendam eſſe tum Vologeſis Nummus antea memoratus, tum perſpicua Scriptorum aliorum teſtimonia demonſtrant; nec plurimum fortaſſe ego fallar, ſi Ammianum ipſum *victoriarum* nomine deceptum id *Nicatori* adſcripſiſſe dixerim, quod *Callinico* ipſius pronepoti tribuendum erat, ut ex ſubiecto Schemate apparet, ac inferius demonſtrabitur.

Reges Syriae

Seleucus *Nicator*	coepit 442.
Antiochus *Soter*	anno 474.
Antiochus *Deus*	V. C. 492.
Seleucus, vel Antiochus *Callinicus*	507.
Seleucus *Ceraunus*	527.
Antiochus *Magnus*	530.

Longe felicior Ammiano, & accuratior Arrianus *(a)*, qui Parthorum, unaque Perſarum defectionem, eiuſque cauſſam exponens ait: Ἀρσάκης, ϗ Τιριδάτης ἤστην ἀδελφὼ Ἀρσακίδαι τοῦ υἱοῦ Ἀρσάκου τοῦ Φριαπίτου ἀπόγονοι. Οὗτοι Φερεκλέα τὸν ὑπὸ Ἀντιόχου τοῦ Βασιλέως, Θεὸν αὐτὸν ἐπικλὴν ὠνόμαζον, Σατράπην αὐτῆς τῆς χώρας καταστάντα.. ἀνεῖλαν, ϗ τὸ ἔθνος τῶν Μακεδόνων ἀπέστησαν, ϗ καθ' ἑαυτοὺς ἦρξαν, ϗ ἐπὶ μέγα δυναμέως ἤλασαν. Vaillantius hic optime reſcribendum ait τὼ υἱὼ Ἀρσάκου, τοῦ Φριαπάτου ἀπογόνω: quamvis reliquerit Ἀρσακίδαι, pro quo Ἀρσακίδα legendum exiſtimo: *Arſaces, & Tiridates fratres erant Arſacidae, filii Arſacis,*

(*a*) In Parthic. apud Phot. Cod. 58.

ſacis, Phriapatii nepotes. Hi Phereclem ab Antiocho Rege (quem Deum cognomento appellabant) eius orae Satrapam conſtitutum necarunt ... Gentem itaque Macedonum pellentes, imperium ipſi arripuerunt, magnamque ſunt potentiam conſecuti. Itaque ex Arriani teſtimonio illud unum inferri, certeque conſtitui poteſt, quod, ſi Pherecles ab Arſacidis illis occiſus ab Antiocho *Deo* Parthiae, ſive Perſidi praefectus fuerat, Arſacidarum defectio poſt annum V. C. 492. contigiſſe debuit, quo Antiochus *Deus* Syriae regnum obtinuit ad annum uſque 507. quo Pherecle adhuc ſuperſtite, Perſiſque Praefecto e vivis exceſſit. Et ſane quod Phereclis mors, & Arſacidarum defectio poſt Antiochi *Dei* mortem contigerit ex Arriano ipſo demonſtravit Syncellus, (a) qui plurima a Photio omiſſa accuratius expreſſit Ἀντίοχος ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ ἐπικληθεὶς Καλλίνικος, ὁ αὐτὸς καὶ Σέλευκος. Ἐπὶ τούτου Ἀντιόχου Πέρσαι τῆς Μακεδόνων, καὶ Ἀντιόχων ἀρχῆς ἀπέστησαν. Ἀρσάκης τίς καὶ Τηριδάτης ἀδελφοὶ ἐσατράπευον Βακτρίων ἐπὶ Ἀγαθοκλέους Μακεδόνος Ἐπάρχου τῆς Περσικῆς. Ἀγαθοκλῆς ἐρασθεὶς Τηριδάτου, ὡς Ἀρριανὸς φησὶ, καὶ τὸν νεανίσκον σπουδάζων ἐπιβουλεῦσαι, διαμαρτήσας ἀνῃρέθη παρ' αὐτοῦ καὶ Ἀρσάκου. Καὶ βασιλεύει Περσῶν Ἀρσάκης, ἀφ' οὗ οἱ Περσῶν Βασιλεῖς Ἀρσακίδαι ἐχρημάτισαν, ἔτη β'. καὶ ἀναιρεῖται, καὶ μετ' αὐτὸν Τηριδάτης ἀδελφὸς ἔτη λζ'. *Antiochus* Antiochi *Dei filius, cognomento Callinicus, idemque Seleucus. Huius Antiochi tempore Perſae a Macedonum, & Antiochorum imperio defecerunt. Arſaces, & Tiridates fratres Satraparum munus in Bactros exercebant ſub Agathocle Macedone Perſidis Praefecto. Agathocles, ut ſcribit Arrianus, Tiridatem amans, ac iuveni inſidias ſtruens, cum in iis aberraſſet, ab ipſo, & Arſace eius fratre occiſus fuit. Itaque Perſarum imperium ſumit Arſaces, a quo Perſarum Reges Arſacidae nuncupantur, eoque per*

duos

(a) Chronograph. pag. 226.

Digitized by Google

duos annos potitus occiditur ; ipſique Tiridates frater ſuccedens per annos 37. *imperavit*. Integer hic Syncelli locus oſtendit plura ex Arriani textu a Photio diſſimulata fuiſſe ; adeoque Syncellum in exarandis iſtis non alium, quam Arriani, codicem exſcripſiſſe. Itaque, ſi prima Arſacidarum defectio Antiochi, vel Seleuci *Callinici* tempore erupit, inter annos V. C. 507. & 527. adſtringi illa debet, quibus *Callinici* regnum circumſcribitur.

Haec ipſa quoque Parthicae defectionis epocha a Iuſtino (*a*) perſpicuis variiſque characteribus demonſtratur. Etenim de Parthis loquens ait : *A Nicanore Seleuco, ac mox ab Antiocho, & ſucceſſoribus eius poſſeſſi : a cuius pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello L. Manilio Piſone, Attilio Regulo Conſulibus. Huius defectionis impunitatem illis duorum fratrum Regum Seleuci, & Antiochi diſcordia dedit ; qui dum ſibi invicem eripere regnum volunt, perſequi defectores omiſerunt . . . Erat eo tempore Arſaces vir . . hic ſolitus latrociniis, & rapto vivere accepta opinione Seleucum a Gallis in Aſia victum, ſolutus Regis metu cum praedonum manu Parthos ingreſſus Praefectum eorum Andragoram oppreſſit, ſublatoque eo imperium gentis invaſit . . . nec multo poſt cum Seleuco Rege ad defectores perſequendos veniente congreſſus victor fuit : quem diem Parthi exinde ſolemnem, velut initium libertatis, obſervant . . . . Sic Arſaces quaeſito ſimul conſtitutoque regno matura ſenectute decedit . . . . Huius filius, & ſucceſſor regni Arſaces adverſus Antiochum Seleuci filium mira virtute pugnavit, ad poſtremum in ſocietatem eius aſſumptus eſt*. Quicumque ſingulos temporum characteres hic a Iuſtino expreſſos conſideret, dubitare ſane non poterit quin prima Parthorum defectio poſt Antiochi *Dei* mortem, adeoque Seleuci *Callinici* eius filii aetate contigerit, cui demum poſt triennale Seleuci *Ceranni* impe-

(*a*) Lib. XLI.

Digitized by Google

rium Antiochus *Magnus* anno V. C. 530. in Syriae regno ſucceſſit.

Ac certe quidem etiam Appianus (a) memorata Antiochi *Dei* morte, ac diſſidiis, & turbis, quae Syriam invaſerant, ſubdit: ϗ Παρθυαῖοι τῆς ἀποστάσεως τότε ἦρξαν, ὡς τεταραγμένης τῆς τῶν Σελευκιδῶν ἀρχῆς *qua occaſione Parthi deſicere coeperunt quod Seleucidarum imperium turbatum foret.*

Ita propemodum Strabo de Parthia loquens teſtatur (b) quod διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους εἶναι τοὺς τῆς Συρίας, ϗ Μηδίας βασιλέας τοὺς ἔχοντας ϗ ταῦτα, πρῶτον μὲν τὴν Βακτριάνην ἀπέστησαν οἱ πεπιστευμένοι, ϗ τὴν ἐγγὺς αὐτῆς πᾶσαν οἱ περὶ Εὐθύδημον. Ἐπεὶ Ἀρσάκης ἀνὴρ Σκύθης τῶν Δαων τινας ἔχων τοὺς Παρνους καλουμένους Νομάδας παροικοῦντας τὸν Ὦχον ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν Παρθυαίαν, ϗ ἐκράτησεν αὐτῆς. Καταρχὰς μὲν οὖν ἀσθενὴς ἦν, διαπολεμῶν πρὸς τοὺς ἀφαιρεθέντας τὴν χώραν *quod Syriae, ac Mediae Reges diſſiderent, quibus illae quoque regiones parebant, primum Bactrianam ad defectionem pertraxerunt ii, quibus commiſſa fuerat, deinde & vicinas etiam regiones Euthydemus. Deinde Arſaces vir Scytha Dais quibusdam imperans cognomento Parnis Nomadibus, qui ad Ochum incolebant, Parthiam invaſit, & occupavit; atque ab initio quidem infirmus fuit, bellum continenter ſuſtinens adverſus eos, quibus Parthiam ademerat.* Diſcordiae autem illae, quae tum a Strabone, tum a ceteris indicantur, inter Seleucum Callinicum, eiuſque fratrem Antiochum *Hieracem* exarſerant, qui Gallos opem ſibi laturos acciverat, quos una cum Hierace Callinicus debellavit; quemadmodum Antiochus *Soter* Antiochi *Dei* pater, aut frater Gallos ipſos antea, Appiano teſte, ſuperaverat.

Perſpicuis eiuſmodi tot Veterum teſtimoniis una collatis manifeſtiſſime oſtendi poteſt quod Arſacis defectio,

(a) Syriac. pag. 130. (b) Lib. XI. pag. 515.

ctio, ſive ut accuratius hic loquar, Parthiae ab illo occupatae tempus ad Seleuci *Callinici* aetatem referri debet; ideoque anno V C. 507. antiquior eſſe non potuit, quo Antiochus *Deus* moriens filios duos *Callinicum*, & *Hieracem* de regno pugnaturos reliquit.

Sed quid Iuſtino faciemus, qui perſpicue diserteque ſcribit quod *Parthi a Seleuco Nicanoris pronepote primum defecere, primo Punico bello, L. Manilio Piſone, Attilio Regulo Conſulibus*? Quid Uſſerio, ac Petavio reſponderi poterit, qui Iuſtini teſtimonio freti Parthici regni initium in anno V. C. 504. collocarunt, quo *C. Attilius Regulus II. & L. Manlius Vulſo* II. Conſules fuerunt? Quid denique Cl. Vaillantio reponetur, qui Parthicum imperium, adeoque Parthicam, vel Arſacidarum aeram anno V. C. 498. quo Conſules in Faſtis occurrunt *L. Manlius Vulſo Longus, & M. Attilius Regulus II.* incepiſſe voluit, ceteroſque Eruditos omnes in hanc ſententiam abripuit?

Non aliud, opinor, hic optimo maximoque iure reponi poterit, niſi quod Iuſtinus ipſe, ſi eius teſtimonium eo ſenſu exponatur, quo a pleriſque omnibus factum eſſe conſpicimus, ſibi non conſtaret; ideoque ſingula, quae ab ipſo ſimul iunguntur, apte componi, ſimulque haerere non poſſunt: quippe quum is dixerit Parthos Seleuci *Callinici* aetate, ſimulque *L. Manlio, & Attilio Regulo Coſſ.* primum defeciſſe; quum tamen Conſules ipſi, ad quemcumque demum V. C. annum referantur, *decem*, aut certe *quatuor* annis *Callinici* initium praeceſſerint. Quandoquidem vero plures characteres alii, quos hic Iuſtinus expreſſit, mire inter ſe ſe, ſimulque cum perſpicuis Scriptorum aliorum calculis, ac teſtimoniis conſpirant, ſiquis in Iuſtino error irrepſit, certe in exprimendis potius Conſulum nominibus irrepſiſſe ille potuit; adeoque ex ſolis Conſulum nominibus vera Parthicae defectionis aetas, & Arſacidarum aerae cardo conſtitui non poteſt.

Sed nihil eſt tamen cur Iuſtinum ipſum aut inconſtantiae, aut erroris inſimulem, eiuſque hiſtoriam hic temere perturbatam eſſe cum Vaillantio contendam. Mitius hic ſane cum praeclaro Scriptore agendum putaverim; idque ego facile Vaillantio conceſſerim Iuſtino vade, Parthos *L. Manlio, & Atilio Regulo Conſulibus* defeciſſe; exinde tamen inferri poſſe vix dixerim Arſacidarum imperium iisdem ipſis Conſulibus incepiſſe: perinde quaſi Iuſtinus ipſe perſpicue diſerteque dixiſſet Arſacem iis Conſulibus imperium ſuſcepiſſe; quum tamen ex integra Iuſtini ipſius ſerie oppoſitum deducatur.

Itaque id unum in Iuſtino reprehendi fortaſſe poterit quod ille in contexenda Trogi Epitome plurima, quae variis certe temporibus contigere, ſimul coniunxerit; ſive, ut accuratius loquar, id in Petavio Uſſerio, Vaillantio, ceteriſque reprehendi debet quod ſingula a Iuſtino ſimul memorata ad eosdem illos Conſules revocaverint; adeoque Arſacidarum imperium iisdem ipſis Conſulibus incepiſſe dixerint. Quod ſi omnia rite, ac ſubtilius explorentur, ſua Iuſtino auctoritas conſtare, Iuſtinus ipſe cum Scriptoribus aliis componi, & quod rei caput eſt, Arſacidarum imperium anno V. C. 498. poſterius, eorumque aerae cardo longe recentior oſtendi poterit.

Atque, ut haec omnia perſpicue demonſtrentur, initio quidem exiſtimo Parthos a Macedonibus, vel Syriae Regibus non anno V. C. 498. ſed 504. *C. Attilio Regulo II. & L. Manlio Vulſone II.* Conſulibus defeciſſe, quod Uſſerio, ac Petavio videbatur. Quamvis enim anno V C 498. *L. Manlius Vulſo Longus*, & *M. Atilius Regulus II.* in Faſtis aliquibus, in Zonara, Eutropio, Polybio, atque Anonymo Noriſiano habeantur, *Regulus* tamen ille *Q. Caeditio* defuncto ſuffectus fuit, ideoque in Faſtis aliis non *Regulus*, ſed *Caeditius*, Vulſoni collega tribuitur, ut in Graecis Faſtis Siculis legitur, *Βουλσονος καὶ Καιδιτίου Vulſone, ac Caeditio*, atque in Caſſiodorio quoque *Q. Caeditius, L. Man-*

Manlius eius anni Conſules memorantur. Itaque ambigua Conſulum nomina, ſive *Attilii Reguli* nomen facilius ad annum VC. 504. referendum videtur, quo in Faſtis omnibus veluti *ordinarius* recenſetur. Accedit etiam quod Euſebius non anno 498. ſed 504. Parthos a Macedonibus defeciſſe ſcribit, quod il e nimirum non ex ambiguo Iuſtini loco, ſed ex antiquiore quodam Graeco Scriptore didicerat. Etenim ad annum I. Olymp. CXXXIII. ſive V. C. 506. ait Πάρθοι τῆς Μακεδόνων, καὶ Ἀντιόχων ἀρχῆς ἀπέστησαν. Πρῶτος βασιλεύει αὐτῶν Ἀρσάκης *Parthi a Macedonum, & Antiochorum imperio defecerunt. Primus apud ipſos regnat Arſaces.*

Itaque tunc primum Arſaces Macedonas ex *Parthia*, vel potius ex *Perſide* exturbavit; idque mire cum Arriani, & Syncelli hiſtoria conſpirat, qui dicit ab Arſace, ac Tiridate *Phereclem*, ſive *Agathoclem* ἔπαρχον τῆς Περσικῆς *Perſidis Praefectum* occiſum eſſe, moxque Arſacem Περσῶν *Perſarum* imperium arripuiſſe; perinde quaſi longe ſerius is *Parthos* invaſerit, ipſorumque imperium occupaverit. Certe Iuſtinus aſſerit quod *Arſaces cum praedonum manu Parthos ingreſſus Praefectum eorum Andragoram oppreſſit*; idque contigiſſe dicit poſtquam *Theodotus Bactrianorum Praefectus defecit, Regemque ſe appellari iuſſit, quod exemplum ſecuti totius Orientis populi a Macedonibus defecere*. Quid vero quod ne repente quidem poſt Theodotum Arſaces defecit, Parthoſque occupavit; ſed aliquanto ſerius id praeſtitit? Certe graviſſimus auctor Strabo, qui Parthicam hanc hiſtoriam ex Apollodoro Atramyteno excerpſit, omnium quidem primum Diodotum defeciſſe dicit, mox Diodoto expulſo Euthydemum, denique omnium poſtremum Arſacem: quemadmodum ſane Polybius (*a*) coaevus fere Parthicae defectioni Scriptor aſſerit Euthydemum ipſum

(*a*) Excerpt. ex Lib. XI. p. 32.

Digitized by Google

ipſum provincias non a Syriae Regum imperio ſubtraxiſſe, ſed a rebellibus occupatas invaſiſſe. Ita propemodum Strabonis teſtimonio erudimur ne Parthos quidem ab Arſace omnium primo occupatos fuiſſe, ſed ab illo defectores, qui priores invaſerant, expulſos eſſe. Aſſerit enim Arſacem ab initio infirmum fuiſſe, quod bello aſſidue ab iis premeretur, quibus Parthiam ademerat: quod ſane de Syriae Regibus, ac Macedonibus intelligi non poteſt, qui longe ſerius adverſus Arſacem, atque Euthydemum moverunt, domeſticiſque diſcordiis vexati defectoribus *impunitatem* diu conceſſerunt. Ergo, licet Iuſtinus Theodoti, aliorumque Regum, & Arſacis etiam defectionem una memoraverit; accuratius tamen Theodoti quidem in Bactrianis, Arſacis etiam ſi libet in Perſide, vel ut Strabo ait, Dais, Parnis, ac Nomadibus defectio ad annum V. C. 504. referri fortaſſe poterit; ſed Parthicum tamen imperium ab illo occupatum ad proximos annos, nimirum ad 509. vel 514. V. C referri debet.

Id ego facile ex pulcherrimo Agathiae(a) loco oſtendi poſſe putaverim, qui licet ſequioribus ſolum temporibus floruerit, quaecumque tamen de Perſarum, ac Parthorum imperio memorat, ex regiis Perſarum Archivis Sergii interpretis opera ſe accepiſſe teſtatur, ideoque ipſius hac in parte auctoritas maximo in pretio eſſe debet. Itaque Scriptor ille, quem Suidas etiam exſcripſit, ut proinde in annorum numeris error effingi non poſſit, de Macedonibus ab Arſace eiectis, Parthiaeque imperio ab Arſacidis inſtituto loquens ait: Ἀρσάκης ὁ Παρθυαῖος τὺς Μακέδονας κρατήσαντας τῆς Περσῶν ἀρχῆς ἔτη ΣϘΓ ἐκβαλὼν, Πάρθοις τὴν βασιλείαν παρέδωκε *Arſaces Parthus Macedonas, qui Perſarum imperium 293. annis tenuerant, eiiciens, regnum Parthis tradidit*. Quo tamen loco, quum vere Macedones,

(a) Lib. II. pag. 46.

dones, & Syriae Reges Macedonum ſucceſſores non 293. ſed vix *centum* annis Perſidis imperio potiti ſint, in Agathiæ, vel Suidae textu cum Scaligero legendum arbitror τοὺς Μακέδονας, κρατήσας τῆς Περσῶν ἀρχῆς ἔτει ΣϞΓ, ἐκβαλὼν *Macedonas, imperio Perſarum anno* 293. *potitus, eiiciens*. Ergo prima Arſacis defectio contigit anno 293. ex quo Cyrus Babylonem ingreſſus imperium illud inſtituit. Primus autem Cyri annus, ut accurate oſtendit Petavius *(a)*, in annum V. C. 216. incidiſſe debuit; adeoque Arſacis in Parthia defectio ad annum V. C. 509 ſpectaret. Quandoquidem vero Syncellus ab eodem illo Cyri initio ad Callinici quidem exordium, quo regnante Arſacem a Syriae Regibus defeciſſe dixerat, 286. annos enumerat, ſed ab initio Cyri ad defectionem ipſam 293. effluxiſſe dicit, ex Syncelli calculo Arſacis defectio anno V. C. 514. contigiſſet. Exinde vero, ut id obiter moneam, depravatus Agathiae, & Syncelli locus reſtitui poterit, in quo uterque dicit Parthorum imperium ab Arſace inſtitutum, atque in Artabano extinctum ΣΟ 270. annis perſtitiſſe. Quum enim Artabanus anno V. C. 986. occiſus fuerit, ut inferius oſtendetur, ab anno V. C. 514. quo Parthicum imperium incepit, ad annum 986. quo deſiit, utroque termino excluſo, anni 470. interceſſere, ideoque in utriuſque textu non ΣΟ, ſed ΥΟ 470. reſtitui debet. Ex eiusmodi vero loco ſic facile reſtituto uberius ac illuſtrius adhuc confirmatur Arſacis defectionem circa annum V. C. 514. aut certe primis Seleuci *Callinici* temporibus contigiſſe.

Certe in hac hypotheſi, quae perſpicuis adeo tot Veterum teſtimoniis innititur, ipſa quoque Iuſtini, & Arriani, ſive potius Photii teſtimonia, quibus univerſa Vaillantii opinio fulcitur, facile intelligi, & explicari poterunt; Parthos nimirum *L. Manlio* & *Attilio* *Re-*

(*a*) Doctr. Temp. Lib. X. c. 15. 16.

Regulo Coſs. defeciſſe; ſed ita tamen, ut defectionis initium non a *Parthis* ipſis, ſed a *Baſtrianis*; non ab Arſacidis, ſed a rebellibus aliis inceperit. Ab Arſace, ac Tiridate Praefectum ab Antiocho *Deo* impoſitum interemptum eſſe; ſed ita tamen, ut ii Praefectum illum poſt Antiochi *Dei* mortem in Perſide occiderint, moxque Nomades in defectionem illexerint, ac deinde Theodoti, ac Euthydemi exemplo Parthos a defectoribus aliis iampridem occupatos invaſerint; adeoque vera *Parthorum* defectio, atque Arſacis imperium longe ſerius, hoc eſt ſub Seleuco *Nicatoris pronepote*, ut ait Iuſtinus, ſub *Callinico*, ut ex Arriano ait Syncellus; poſt Seleuci, & Antiochi diſcordias, ut Iuſtinus, poſt Antiochi *Dei* mortem, ut Appianus teſtatur, conſtitui debet.

*S*ed quamvis etiam id Vaillantio liberaliter concedatur quod Arſaces anno V. C. 504. ſive ſi libeat 498. Parthos invaſerit, quis tamen ab Arſace tunc *Regis* nomen repente uſurpatum, atque Arſacidarum annos exinde veluti cardine numeratos eſſe concelſerit? Utrumque tamen Vaillantius ipſe contendit, quum Arſaci I. quem occupato Parthorum imperio duobus annis vixiſſe, atque anno V. C. 500. obiiſſe dicit, Nummum illum adſcribat, in quo legitur Βασιλέως Βασιλέων Α᾽ρσάκου Ε᾽υεργετοῦ Ε᾽πιφάνους Φιλέλληνος *Regis Regum Arſacis Benefici Illuſtris amici Graecorum*: quumque in eo Nummo Α᾽πὸ Γορπιαίου legatur, aſſerit cum Triſtano Vaillantius indicari Arſacis defectionem, initumque Parthorum imperium, atque Arſacidarum aeram a Gorpiaeo menſe anno V. C. 498. exordiri.

At doctiſſimi viri pace inſignis hic Nummus Arſaci I. adſcribi certe non poterit. Noriſius (*a*) quidem id exinde ſolum coniecerat, quod in illo Arſaces *Grae-*

(*a*) De Epoch. pag. 9.

Digitized by Google

Graecorum amicus dicatur; Arſaces autem ille defectionis auctor *non amicus Graecorum, ſed eorumdem infenſiſſimus hoſtis appellandus videatur*. Longe tamen illuſtrius id ex ipſa Nummi facie oſtendi poſſe putaverim. Siquidem in illo ſenis, promiſſaque barba inſignis viri vultus conſpicitur; in adverſa vero Rex ipſe ſedi inſidens occurrit, cui ſtolata mulier palmae ramum, veluti partae victoriae ſymbolum, porrigit. Quis autem eiusmodi characteres Arſaci I. concedi poſſe putaverit, qui nullam prorſus victoriam obtinuit; quodque gravius eſt, Tiridatis fratris inſtar Arriano teſte *νεανίσκος adoleſcens* adhuc Parthos invaſit, atque altero poſt defectionem anno adoleſcens in acie occubuit; ut proinde Tiridates ipſe, qui ipſi ſuccedens 37. annis imperium occupavit, *medium agens curſum aetatis*, ſexagenario fortaſſe minor, exceſſerit? Itaque Nummus ille recentiori prorſus Arſacidae adſcribi debet; quumque ei ſimillimus ſit, quem Liebus *(b)* cum epocha NA 51. exhibuit, non plurimum fortaſſe ego fallar, ſi utrumque ad Phraatem I. referendum exiſtimem, qui circa annum 576. ab V. C. Mardos inſigni praelio ſuperavit, ut a Iuſtino erudimur. Quin etiam Iuſtinus ipſe perſpicuum argumentum aliud ſuppeditat quod primus ille Arſacida numquam regium nomen aſſumpſerit. Etenim de Arſace, hoc eſt in Vaillantii hypotheſi, de Tiridate Arſacis defuncti fratre loquens ait, *quod ille quaeſito ſimul conſtitutoque regno deceſſit*; quod *eius filius, ac ſucceſſor regni Arſaces adverſum Anthiocum Seleuci filium pugnavit; quod tertius Parthis Rex Pampacius fuit*. Ergo ex Iuſtini, vel Trogi ſententia primus omnium Tiridates apud Parthos *Regis* nomen obtinuit: quemadmodum ſane Strabo, dum de inito atque firmato Parthiae regno loquitur, unum prorſus, eumdemque *Arſacem* Regem exhibuit, quod

(b) Gotha nummor. pag. 130.

Digitized by Google

quod totidem fere verbis Agathias, Zonaras, Ammianus, aliique teſtantur. Quod ſi Oroſius Arſacem quoque inter Parthiae Reges ante Tiridatem enumerat, ac Syncellus ait quod Arſaces ille 2. annis *βασιλεύει*, id ſane non de regno, ſed de imperio quolibet intelligi debet; quemadmodum prorſus hoc uno ſenſu intelligi poterit quod Tiridates 37. annis regnaverit, quamvis poſtremis ſolum imperii annis *regium* nomen aſſumpſerit.

Quemadmodum vero nullus omnino ſplendor aut ex Nummis, aut ex Scriptoribus oriri poteſt, ut ab Arſacidis imperium regiumque nomen repente poſt defectionem ſuſceptum oſtendatur; ita quoque ambiguum prorſus, & obſcurum erit an ab ipſo defectionis tempore imperii annos numeraverint, adeoque primam defectionem illam, veluti novae aerae cardinem, uſurpaverint. Certe, quamvis Seleuco poſt Alexandri mortem Babiloniae ditio, atque imperium obtigerit; nondum tamen regium ille nomen aſſumpſit, aut regni annos numeravit; ſed celebris illa *Seleucidarum* aera *duodecimo* ſolum poſt Alexandri mortem anno, hoc eſt 442. V. C. incepit. Ita prorſus, ut exempla cetera omittam, quamvis Arſacidae apud Parthos imperium Seleuci *Callinici* aetate poſt annum ab V. C. 510. obtinuerint, longe tamen ſerius & *Regis* nomen uſurparunt, & regni annos numerare coeperunt; nullusque fere nunc dubito quin utrumque circa annum V. C. 525. contigerit.

Certe Iuſtinus, quum dixiſſet Arſacem poſt Theodoti Bactrianorum Regis mortem foedus ac pacem cum eius filio Diodoto feciſſe, ſubdit: *nec multo poſt cum Seleuco Rege ad defectores perſequendos veniente congreſſus victor fuit: quem diem Parthi exinde ſolemnem, velut initium libertatis, obſervant. Revocato deinde Seleuco, dato laxamento, regnum Parthicum format.* Quis hic aperte non videat Parthos ſuperato demum Seleuco victoriam, ac victoriae diem *veluti initium libertatis* obſervaſſe;

tunc

Digitized by Google

tuncque primum ab Arſace *Parthicum regnum formatum eſſe?* Itaque, quum Seleucus iterum in Parthos iter ſuſceperit anno V. C. 525. ut ex variis Scriptorum teſtimoniis invicem collatis Vaillantius oſtendit, Arſacis regnum, ſimulque Arſacidarum aera non alteri, quam eiusmodi anno commodius adſcribi poterit.

Optime quidem novi quod Seleucus ipſe in Parthos iampridem moverat, *decimo* fortaſſe poſtquam defecerant anno. Sed tunc, Strabone teſte, (*a*) Ἀρσάκης τὸν Καλλίνικον φευγὼν εἰς τοὺς Ἀσπασιάτρας ἐχώρησε *Arſaces Callinicum fugiens in Aſpaſiatras ſeceſſit*, ac Seleucus ipſe, ut putavit Vaillantius, quum Andragoram Parthiae Praefectum reliquiſſet, Antiochiam rediit. Ergo iter aliud, quo Seleucus compoſitis in Syria rebus in Parthiam, ubi Arſaces ſublato Andragora, imperium occupaverat, movit, atque cum illo congreſſus eſt, ad annum V. C. 525. referri debet; adeoque in illo Arſacidarum aerae initium conſtitui; quum praeſertim eius victoriae gloria Arſaces Mediae quoque imperium occupaverit (*b*), unde ab Horatio *Parthorum* Reges *Medorum* nomine ſaepius appellantur. Itaque ex variis characteribus, ac teſtimoniis una collatis Arſacidarum aera anno V. C. 525. adſcribi iam poterit, aut certe 25. annis recentior haberi, quam Vaillantius exiſtimaverat.

Quod ſi Parthica, vel Arſacidarum aera ab hoc novo, certiorique cardine, hoc eſt ab anno V. C. 525. deducatur, 333. annus in illa numeratus in annum V. C. 858. incidiſſe debuit, quo Choſroes Parthorum Rex Armeniam turbavit, Exedarem ipſius Regem expulit, ac Parthamaſiridem fratrem Armeniis imponere tentavit; ut proinde Maniſarus, arrepta opportunitate, Armeniae partem occupaverit, initoque regno Nummum ſignaverit cum aera ΤΛΓ, quae hunc

 ipſum

(*a*) Libr. XI. pag. 513.

(*b*) Athen. Lib. IV. cap. 13.

Digitized by Google

ipſum regni a ſe ſuſcepti annum indicaret, adeoque ſymbola, & characteres omnes huic *Minniſari* noſtri Nummo inſcripti, ei *Maniſaro* accurate conveniunt, quem in Dionis hiſtoria memoratum eſſe conſpicimus; ut proinde ſingularis hic Nummus non alteri, quam Dionis Maniſaro, tribuendus videatur. Quod enim Rex ille a Dione quidem *Maniſarus*, in Nummo vero *Minniſarus* dicatur, id facile vel exſcriptoris, vel fortaſſe potius ſcalptoris errori adſcribi debet; quemadmodum ſane plurima eiusmodi vitia in ipſis etiam Arſacidarum Nummis admiſſa fuiſſe mox oſtendetur, ubi de *Arſamis*, Regis Nummo diſſeretur.

Neque tamen id facile Vaillantio conceſſerim quod ad hunc ipſum Maniſarum a Dione memoratum Nummus etiam ille referri debeat, in quo caput tiara ornatum conſpicitur, atque in adverſo reperitur *Aquila* cum vocibus ΒΑCΙΛΕΩC ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ *Regis Abaiſſari*. Quamvis enim in hoc etiam Nummo error admiſſus dicatur, ut pro ΜΙΝΝΙΣΑΡΟΥ exaratum ſit ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ, adverſae tamen partis typus, ac fortaſſe quoque *Abaiſſari* facies cum Minniſari facie comparata Nummum illum Minniſaro noſtro abiudicabit; quum in Armeniae, Parthiae quoque, ac Perſidis regum Nummis *Aquilae* typus nunquam occurrat. Non is vero ego ſum, qui in tanto veterum Scriptorum ſilentio quidpiam de hoc Nummo, quem nondum conſpexi, coniicere, vel definire nunc velim. Optime quidem novi quod ab Arriano (a) *Abiſares* Indorum Rex, ejuſque frater *Arſaces* ſaepiſſime memoratur, cui Alexander ipſe regnum confirmavit, quem tamen Regem Curtius (b) *Abiaſarem*, Diodorus (c), *Embiſarum*, Suidas *Abiſarum* appellat. Sed quis in extremis Orientis finibus Regem illum inquirat, ipſique Perſicum cydarim, aut tiaram concedat; niſi ille *Arſacis* fratris inſtar

(a) De Exped. Alex. Lib. V. pag. 352. 376.

(b) Lib. IX c. 12.

(c) Lib. XVII. c. 90.

Digitized by Google

inſtar ex Perſide oriundus, atque *Arſacida* ſupponatur? *Abeacus* etiam Siracum Rex potentiſſimus, ac Pharnaci Boſpori Regi coaevus a Strabone (*a*) memoratur. *Abbarus* etiam Arabum Rex a Tacito (*b*) & *Abagarus* Perſarum Rex a Spartiano (*c*) nominatur, quem Severus Auguſtus ſuperavit; ac utrique ſane tiara facile concedi poſſet. Sed quis eiusmodi ſolum nominis affinitate permotus *Abaiſſari* Nummum ipſis adſcripſerit? Itaque donec Nummus ipſe diligentius exploretur, aut lux aliqua ex monumentis aliis occurrat, nihil omnino temere definiendum putaverim; idque unum veluti exploratum admitti poterit quod *Abaiſſarus* ille a *Miniſſaro* noſtro diſtingui debet; ſed unus tamen idemque cenſendus erit *Maniſarus* ille, qui a Dione memoratur, & *Minniſarus* in noſtro Nummo expreſſus, qui in Armenia imperavit anno V. C. 858. ideoque 333. aerae Parthicae, quae ab anno ſolum V. C. 525. veriori nempe ſuoque cardine deducatur.

§. III.

(*a*) Lib. XI. pag. 506.
(*b*) Lib. XII.

§. III.

Parthicam aeram ab Arſacidis etiam Armeniae Regibus uſurpatam eſſe demonſtratur; eorumque Regum ſeries, ac Nummi oſtenduntur.

ILlud unum huic novae Arſacidarum aerae ſuperius a me conſtitutae opponi poſſe conſpicio, quod apud Vaillantium (*a*) in argenteo *Vologeſis* III. Nummo characteres ANΥ. in altero vero ΞΥ. reperiuntur, quibus annus 451. & 460. in Arſacidarum aera numeratus exprimitur; quemadmodum prorſus in Muſeo Theupolo. Vologeſis eiusdem Nummus occurrit cum notis, aut anno ΔNΥ 454. Vologeſes autem ille, ut Vaillantius *(b)* obſervavit, ſub Antonino Caracalla anno V. C. 966. interiit; ideoque Auguſtus ipſe dum adhuc in Germania degeret *eo ſe multum iactabat quod Vologeſo Parthorum Rege mortuo eius filii de regno inter ſe certabant*. Ergo, ſi Nummus ille, in quo characteres ΞΥ. aut aerae annus 460. reperitur, extremo quoque Vologeſis anno, nimirum V. C 966. cuſus dicatur, 460. annus inde retrograda ſerie numeratus in annum V. C. 506 incideret; ideoque Parthicae aerae cardo illo recentior eſſe non poſſet. Ita quoque apud Vaillantium (*c*) ipſum in duobus Nummis *Artabani* IV. qui Vologeſi III. patri in Parthiae regno ſucceſſit, numerus ΥΟΔ. & ΠΥ reperitur, quibus Arſacidarum annus 474. & 480. deſigna-

gna-

(*a*) Pag. 364. & 366.
(*b*) Pag. 363.
(*c*) Pag. 386. 387.

Digitized by Google

gnatur. Sed Artabanus ille anno V. C. 979. ab Artaxare, ſive Artaxerſe Perſarum Rege Parthico regno ſpoliatus, & occiſus fuit, ergo Nummus ille, qui characteribus ΠΥ inſignitur, anno V. C. 979. poſterior eſſe non poteſt, ideoque Parthicae aerae initium, in qua annus ille 480. numeratur, ante annum V. C. 500. conſtitui debet.

Ut haec difficultas, cui maxima ſane, ac infinita propemodum vis ineſſe deberet, accurate dirimatur, obſervari plurimum velim quod eodem ipſo Dione teſte, quem Vaillantius hic ſequitur, Vologeſes alius ordine IV. Vaillantio prorſus incognitus Parthiae Regibus adiungi fortaſſe debet, qui ſimul cum Artabano IV. fratre in Parthiae regno imperaverit; moxque Artabani viribus ac praeſidio fretus Armeniae regnum occupaverit. Etenim Dio in Severi Caeſaris Vita res ab illo anno V. C. 950. & 951. geſtas deſcribens teſtatur quod Severus ipſe bellum in Parthos ſuſcepit quod illi Meſopotamiam invaſiſſent, aitque quod ἦρχε αὐτῶν Οὐολόγαισος, ὗ ἀδελφὸς συνῆν τῷ Σεβήρῳ *praeerat ipſis Vologeſes, cujus frater cum Severo erat*, fortaſſe nimirum Tiridates, quem veluti a Romanis transfugam mox a Caracalla repetitum eſſe dicemus; ſubditque Dio quod Severus occupata iam Cteſiphonte, ex qua Vologeſes aufugerat, eaque direpta in Meſopotamiam redivit. Deinde vero Scriptor ipſe de rebus a Caracalla anno V. C 969 geſtis diſſerens ait ὐκ ὤκνησε δὲ γράψαι πρὸς τὸ Συνέδριον καὶ περὶ τῶν ἐν τοῖς Πάρθοις βασιλευσάντων, ἀδελφῶν τε ὄντων, καὶ πρὸς ἀλλήλυς ςασιαζόντων, ὅτι ἡ τῶν ἀδελφῶν διαφορὰ μέγα τὶ κακὸν τὸ κοινὸν τῶν Πάρθων ἐργάσηται *non piguit eum ſcribere ad Senatum de Regibus Parthorum, quod, cum fratres eſſent, & inter ſe diſſiderent, res publica Parthorum ex fratrum diſſenſione magnum detrimentum aliquod eſſet habitura.* Denique teſtatur Dio quod ἐςρατευσαντι αὐτῷ κατὰ τῶν Παρθων, πρόφασις τῦ πολέμυ ἦν ὅτι Οὐολόγαισος τόν τε Τιριδάτην, καὶ

Α'ν-

Ἀντίοχόν τινα μετ' αὐτȣ̃ ἐξαιτήσαντι αὐτῷ ȣ̓κ ἐξέδωκεν *ipſi* Caracallae *bellum adverſus Partbos inferenti ea belli cauſſa praetexebatur quod Vologeſes Tiridatem unaque Antiochum quendam ſibi eos poſtulanti non dediſſet*. Quum vero Parthus transfugas illos reddidiſſet, Caracalla a bello prorſus abſtinuit; ſed Artabanum tamen Parthiae Regem invaſit quod ille filiam ſibi in uxorem concedere detractaſſet; tandemque bellum a Parthis in Romanos ſuſceptum extinctum fuit, cum occiſo iam Caracalla anno V. C. 970. Macrinus ipſius ſucceſſor pacem cum Artabano Rege ſancivit (*a*).

Quamvis ex eiusmodi Dionis hiſtoria perſpicue certoque deprehendi non poſſit an Caracalla adverſus alterum ſolum ex Parthiae Regibus, an vero potius adverſus utrumque variis de cauſſis bellum decreverit; an Vologeſes ille, qui defectores reddere detractaverat, Artabani pater, vel potius frater eſſet; id unum tamen hic aſſeri, certoque conſtitui debet, quod Artabani Regis aetate ipſius frater in altera Parthiae parte imperabat; & quamvis nullus omnino Veterum Regis hujus nomen expreſſerit, is tamen facile *Vologeſis* nomine vocari potuit; cum praeſertim Herodianus (*b*) eum Parthorum Regem, qui a Severo impetitus fuit, atque a Dione *Vologeſes* vocatur, *Artabanum* appellaverit; quod fortaſſe nimirum Herodianus utriuſque nominis Reges ſimul in Parthia regnaſſe conſpiceret; ideoque facile duos fratres illos ad Severi tempora revocaverit, qui proximis ſolum Caracallae temporibus imperarunt. Ita quoque nullus fere ex Scriptoribus ſplendor affulget de tempore, quo fraternae Parthorum Regum diſcordiae ceſſaverint, integrumque Parthiae regnum uni Artabano ceſſerit. At non plurimum fortaſſe ego fallar, ſi tunc demum integro Parthiae regno Artabanum potitum fuiſſe dixerim, cum ille fratrem hunc ſuum, defuncto iam,

vel

(*a*) Capitol. in Macrin.

(*b*) Lib. III. c. 9.

Digitized by Google

vel expulſo Tiridate, cui Macrinus Armeniae regnum reſtituerat, Armeniis Regem dedit; quemadmodum prorſus Artabanus alius Arſacem filium (*a*), & Vologeſes I. Tiridatem, & Choſroes Parthamaſiridem fratrem ſuum in Armeniae regnum invexerat: perinde quaſi Parthorum Regibus id antiquo iam more receptum foret ut fratres ſuos in Armeniae regnum veluti Arſacidis avitum intruderent, eoque conſilio vel arte fraternas diſcordias componerent, ſibique integrum Parthiae regnum aſſererent. Certe Procopius (*b*) nitide diſerteque teſtatur quod ineunte Alexandri Severi imperio, hoc eſt anno V. C. 975. Artabanus Parthorum Rex *Arſacem* fratrem ſuum Armeniae Regem conſtituit; ideoque, dum *quarto* eiusdem Caeſaris anno, ſive V. C. 979. Artaxares Perſa Parthiae regnum invaſit, atque Artabanum Regem occidit, huius filii ad Arſacem illum Armeniae Regem, patruumque ſuum confugerunt; cumque Artaxares Armeniam quoque invadere conaretur, ab incolis, & Artabani filiis expulſus fuit. Interim vero Arſaces ille tranquille Armeniae regnum conſervavit, atque Artabani fratris inſtar amicitiam cum Romanis coluit: unde Alexander Caeſar, cum anno demum V. C. 986. contra Artaxarem Perſam Romanis etiam Provinciis infeſtum moveret, tertiam militum ſuorum partem juſſit (*c*) *δἰ Ἀρμενίας ἐπελθȣ͂σαν, φιλίȣ Ῥωμαίοις δοκȣ́σης, κατατρέχειν τὴν Μήδων χώραν per Armeniam, quae Romanis amica videbatur, iter facere, ac Medorum regionem incurſare*. Quamvis autem Armeniae Reges Arſacis huius poſteri modo Romanis, modo Perſis adhaeſerint, ut inferius oſtendetur, compertum eſt tamen quod Arſacidae Artabani Parthi nepotes Armeniae regno ad annum uſque V. C. 1165. ſive Chr. 412. potiti ſunt. Itaque, licet Artabani

E fra-

(*a*) Dio Lib. 58.
(*b*) De aedific. Iuſtin Lib. I.
(*c*) Herodian. Libr. VI. c. 5.

ſrater, qui una cum ipſo in Parthiae regno impe-ravit, a nullo ex Scriptoribus peculiari ſuoque nomi-ne diſtinguatur, idemque fortaſſe Artabani frater, qui Armeniae regnum ab illo obtinuit, a Procopio communi ſolum *Arſacis* nomine deſignetur; nihil ta-men veriſimilius hic aſſeri, vel admitti poteſt, quam ipſum paterno *Vologeſis* nomine vocatum eſſe; quem-admodum ſane in Arſacidarum hiſtoria unum idem-que *Vologeſis* nomen tum patri, tum filio, praeſertim natu minori, tributum occurrit.

Quod ſi *Arſacis Vologeſis* nomen non patri ſolum Parthiae Regi, ſed filio quoque Armeniae Regi com-mune eſſe potuit, idque Vaillantius ipſe concederet, qui in Zonarae (*a*) loco *Arſacem* legendum, atque *Arſacem Vologeſem* intelligendum eſſe iam viderat (*b*), quo demum charactere, certaque nota oſtendi iam poterit quod Nummi ſolo *Arſacis*, vel *Arſacis Volo-geſis* nomine inſignes, ac notis ANΥ. ΔNΥ. ΞΥ. de-corati ad Vologeſem Parthorum, non vero potius ad Vologeſem alterum Armeniorum Regem referri de-beant? Quis Nummos alios, in quibus, diſſimulato Regis nomine, ſoli characteres ΔOΥ. ΠΥ. occurrunt, ad Artabanum Vologeſis Parthici filium, non vero potius ad Tiridatem, quem Vologeſis Armenii filium, ac Vaillantio prorſus incognitum fuiſſe oſtendam, re-ferendos eſſe probaverit? Certe Artabanus ille Par-thorum Rex Herodiano (*c*) teſte, victa fortaſſe Media, ſe *Regem Magnum* vocari, ac diadema duplex geſtare voluit; ideoque Nummus, in quo ne ſimplex quidem *Regis* titulus conſpicitur, unicumque diadema exhi-betur, longe facilius alteri, quam Artabano Parthico, adſcribendus videtur. Denique, ſi Nummi ſinguli a Vaillantio prolati non alteri, quam Parthico Regi, adſcribantur, Arſacidarum aera ab anno V. C. 498.
dimo-

(*a*) Annal. Libr. XI. c. 18.
(*b*) Pag. 291.
(*c*) Libr. VI. c. 2.

Digitized by Google

dimoveri certe non poſſet, quod tamen falſum aut ſaltem mire incertum eſſe iam vidimus. Sin vero ad Armenium Regem aliquem referantur, quemadmodum ſane Minniſari Nummum Arſacidarum epocha & ipſum inſignem non ad Parthiae, ſed ad Armeniae Regem revocandum eſſe iam vidimus, omnia iam facile ac mire conſpirant. Itaque in Nummis illis, niſi mea me fallit opinio, *Parthica* quidem, aut *Arſacidarum* Epocha agnoſci debet; ſed illi tamen ad *Arſacidas* non *Parthorum*, ſed *Armeniorum* Reges referri debent.

Ac, ne coniecturis ſolum agere, iiſque doctiſſimi Vaillantii ſententiam Eruditis omnibus modo receptam convellere hic videar, perſpicuis exemplis aliis oſtendam Arſacidarum Aeram ab ipſis etiam Arſacidis Armeniae ſolum Regibus uſurpatam eſſe; ſimulque Vaillantii errorem, ejuſque erroris originem demonſtrabo. Eximium *Arſacis* cuiusdam Nummum exhibuit Vaillantius *(a)* in quo legitur ΒΑΣΙΛΕΩϹ ΑΡϹΑΚΟΥ *Regis Arſacis*, ſimulque conſpicitur Aera ΑϘΥ. hoc eſt annus 491. Quum Vaillantius hunc Nummum *duodecimo* ſaltem anno cuſum eſſe intelligeret poſtquam Artaxares, ſive Artaxerſes Perſa occiſo Artabano, extinctoque Parthiae imperio *Perſicum* regnum inſtituerat, Nummum illum Artaxerſi Perſarum Regi tribuendum aſſeruit, qui cum Arſacidarum regno potitus eſſet, *ſolum Arſacis nomen praecedentium Regum more in Nummis uſurpavit*. Deinde vero, cum Nummum alium inveniſſet, in quo legebatur ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΒΑϹΙΛΕΩΝ ΑΡϹΑΚΟΥ *Regis Regum Arſacis*, atque Aera ΦΗ. ſive annus 508. inſculptus conſpicitur, alterum hunc Nummum ad Saporem Artaxerſis filium, itidemque Perſarum Regem revocavit *(b)*; eidemque ſane Nummum etiam alium tribuiſſet in Muſeo Theupolo vulgatum, in quo legitur ΑΡΣΑΚ. ΗΦ. *Arſacis* Anno 508.

 Alte

(*a*) Pag. 391.

(*b*) Pag. 394.

Alte nimirum Cl. Vaillantii animo inſederat Nummos omnes, in quibus Arſacidarum aera, conſuetus Regis ornatus, & adverſae partis typus occurrit, ſolis Parthorum Regibus adſcribendos eſſe; ideoque non modo *Vologeſem*, ſed *Artaxerſem* ipſum, & *Saporem* Parthicis Regibus inſeruit.

Utrobique tamen Vaillantium praeconceptae iam opinioni liberius indulſiſſe, adeoque in errorem abreptum eſſe putaverim. Quis enim exiſtimet Artaxarem illum, qui non *Arſacida*, ſed *obſcuro, & inglorio genere ortus* erat, ut ait Zonaras *(a)*, ſolo *Arſacis* nomine vocari voluiſſe; cum praeſertim *Arſacidas* omnes tum Parthiae, tum Armeniae Reges acerrimo odio inſectaretur, ipſorum alterum nefarie in Parthia obtruncaſſet, alterum in Armenia debellare conaretur? Quis Arſacidarum epocham ab Artaxare in Nummis inſculptam putabit, cum Artaxares ipſe aerae huius originem, Parthici nempe regni initium, quam qui maxime deteſtaretur? Quis ab Artaxare aut *Regis Regum*, aut *Regis magni* titulum hic omiſſum fuiſſe, odioſum vero *Arſacis* nomen uſurpatum exiſtimet; cum ſemper ille non alio, quam ſuo *Artaxerſis*, nomine, ac *magni Regis* titulo uti conſueverit, atque in eadem ipſa legatione, quam ad Alexandrum Auguſtum miſit, audacius dixerit *κελεύει μέγας βασιλεὺς Ἀρταξέρξης* *(b)* *iubet magnus Rex Artaxerſes*, quemadmodum prorſus Sapor alius Perſarum Rex ad Conſtantium Auguſtum ſcribens ait *(c) Rex Regum Sapor Conſtantio*. Quid vero quod ne in tota quidem 27. Perſarum Regum ſerie, qui Artaxerxi ſucceſſerunt, ullus omnino occurrit, qui *Arſacis* nomen, aut cognomentum uſurpaverit; quod in omnibus tamen Parthorum, atque in pluribus Armeniae Regibus obſervatur? Quid quod

(a) Annal. lib. XII.
(b) Herod. Libr. VI. c. 3.
(c) Ammian. Marcell. Lib. XVII. c. 5.

Digitized by Google

quod a Graecis, & Latinis etiam Scriptoribus, ubi fortaſſe Symmachum *(a)*, & Sidonium *(b)* exceperis, qui Perſarum Reges inſueto nomine *Arſacidas* appellarunt, *Arſacis* nomine nunquam Perſarum, ſed Armeniae ſolum rex deſignatur: ut Ammianus Marcellinus *(c)* ubi de bello adverſus Perſas a Juliano ſuſcepto, moxque de foedere a Joviano Auguſto cum Perſis inito loquitur ſemper Armeniae Regem *Arſacis*, Perſarum vero non alio, quam ſuo *Saporis* nomine deſignavit? Ita propemodum in ipſa quoque Regum illorum ſerie, qui florentibus adhuc Parthorum rebus in Perſide imperarunt *(d)*, nunquam *Arſacis* nomen occurrit; ſed Reges illi ſemper ſuo, praeſertim vero *Artaxerſis* nomine appellantur; ut Artaxerſes ille, qui paullo ante Iſidori Characeni tempora, ideoque circa annum ab V. C. 700. floruit, atque a Goſithre fratre occiſus fuit *(e)*. Quid quod Agathias *(f)*, qui hiſtoriam ſuam ex regiis Perſarum archivis excerptam aſſerit, Herodianus *(g)*, ac Syncellus *(h)* etiam nitide, diſerteque teſtatur *Arſacidarum* imperium ab Arſace uſque ad Artabanum 270. ſive potius 470. annorum ſpatio perſtitiſſe, atque ab Artaxare Perſa deletum eſſe; adeoque aperte ſatis oſtendit Artaxarem hunc, eiuſque ſucceſſores *Arſacidis* accenſeri, atque *Arſacidarum* nomine vocari non poſſe? Quid denique, ne cetera hic perſequar, quod Artaxerſis huius aetate Perſae Graecae linguae imperiti fuiſſe videntur; ideoque vix ac ne vix quidem effingi poteſt ipſorum Nummos Graecis characteribus ſignatos eſſe: quemadmodum ſane pluribus Nummis, qui ad eiuſmodi Perſicos Reges Froelichio iudice perſpicue certoque referri debent, non *Graeci*, ſed *Perſici* ſolum, characteres inſcripti conſpiciuntur?

Sed

(a) Lib. X. epiſt. 22.
(b) Lib. VIII. epiſt. 9.
(c) Libr. XXIII. XXV. XXVII.
(d) Strab. Lib. XV. p. 728.
(e) Lucian. in Macrob.
(f) Lib. II.
(g) Lib. VI. c. 2.
(h) Pag. 286.

Digitized by Google

Sed nihil eſt tamen, quo uberius, ac illuſtrius oſtendi poſſit duos Nummos illos, qui Artaxerſi, & Sapori Perſarum Regibus a Vaillantio, & Froelichio adſcribuntur, non ad illos, ſed ad Arſacidas referendos eſſe, quam maxima, ac mira prorſus varietas, quae inter veros Arſacidarum, ac Perſarum Regum Nummos reperitur. Siquidem in indubiis Perſarum Nummis Regum tiara plumis, atque alis fere volitantibus exornatur; capilli veluti in orbem glomerati conſpiciuntur; gemmae non in tiara ſolum, ſed in ipſo quoque Regum collo, veſtibus, auribus, & capillis etiam inſertae ſunt, nullibique numerales notae, vel epocha exprimitur. Sic in adverſa Perſicorum Nummorum facie non ſagittarius, non turritum mulieris caput, non victoria palmae ramum, aut coronam ſedenti Regi porrigens, conſueta nempe Arſacidarum ſymbola, ſed ara cum igne, cui figurae duae hinc inde adſtant, conſtanter ubique reperitur: quod, ut optime Froelichius ipſe obſervavit, ad ignis, & Solis cultum apud Perſas uſitatum referri debet. Itaque mirari plane quis poterit cur Froelichius ipſe, qui 14. ex Perſicis Nummis iſtis accurate deſcripſit, eorumque ſignandorum ritum ab Artaxerſe primo poſt Parthos Perſico Rege inſtitutum putavit *(a)*, Vaillantii tamen veſtigiis inſiſtens Nummum cum epocha AqΥ 491. Artaxerſi Perſae, alium cum epocha ΦH 508. Sapori eius filio, itemque Nummum alium, quem omnium primus is edidit, cum epocha ΦK 520. ad Saporem ipſum revocaverit *(b)*: perinde quaſi Perſicorum Nummorum ſignandorum ritus ab Artaxerſe inſtitutus ſub Sapore filio, atque ipſa quoque Artaxerſis aetate deſierit, moxque a Saporis ſucceſſoribus inſtauratus fuerit.

Quicumque haec, aliaque id genus accurate perpenderit, facile profecto intelliget Nummos illos Arſaci-

(*a*) Pag. 72. 82.   (*b*) Pag. 65.

Digitized by Google

ſacidarum epocha inſignes, qui Artaxerſi, & Sapori Perſarum Regibus a Vaillantio, ac Froelichio tribuuntur, ad ſolos Armeniae Reges, qui ſoli ex Arſacidis extincto Parthorum Regno ſupererant, referendos eſſe. Quod ſi duo hi Nummi Arſacis nomine, atque aera inſcripti ad Armenios ſolum Arſacidas ſpectare debent, nullus promemodum dubitandi locus ſupererit quin ad Armenios ipſos quatuor etiam Nummi alii referendi ſint, in quibus epocha 451. 460. 474. 480. reperitur; cum praeſertim in duobus poſtremis, in quibus habentur anni 474. 480. ne ipſum quidem *Arſacis* nomen occurrat; ac typus ille, qui in adverſa eorum facie conſpicitur, Armeniis potius, quam Parthicis Nummis conveniat; cum idem ille Urbis Genius, ſive turritum mulieris caput in duobus Tigranis Nummis occurrat, qui ſane non ad Parthos, ſed Armenos Reges ſpectavit. Perſicae vero linguae periti curioſius inquirant, an Artaxerſi, vel Sapori, vel alteri cuipiam Perſarum Regi Nummi illi tribuendi ſint, qui Parthicis, ut putatur, ſive potius Perſicis characteribus inſignes, apud Vaillantium (*a*), in Muſeo Theupolo (*b*), & Geſnero (*c*) occurrunt. Certe Vaillantio quidem iudice ii Parthis Regibus adſcribi non poterunt, cum & Arſaces ipſorum primus, & Artabanus ipſorum poſtremus Graecis characteribus Nummos ſignaverint; adeoque vel antiquis, vel facile recentioribus Perſarum Regibus adſcribendi videntur. Id vero mihi propoſitum fuerat, ut contra Vaillantium oſtenderem non modo quod ex ſuperſtitibus Arſacidarum Nummis ipſorum epocha perſpicuis adeo Veterum teſtimoniis a me conſtituta refelli non poteſt; verum etiam quod haec ipſa Arſacidarum epocha non a Parthiae ſolum, quod Vaillantius putaverat, ſed etiam ab Armeniae Regibus uſurpata, Nummiſque inſcripta

fuit

(*a*) Pag. 395.
(*b*) Pag. 1222.
(*c*) Tab. II. num. 3.

ſuit, quod hactenus Vaillantio, ceteriſque Eruditis omnibus incompertum erat.

Iam vero facile quilibet ex Nummis illis antea recenſitis ei Armeniae Regi adſcribi a me poterit, a quo cuſus fuit, ſimulque Armeniae Regum ſeries, quae in Vaillantio mutila, ac depravata conſpicitur, reſtitui, ac ſuppleri. Aſſerit Vaillantius quod Arſaci II. Artabani fratri in Armeniae regno filius Artavasdes vel Artabasdes ſucceſſit, qui Pollione (*a*) teſte Sapori Perſarum Regi ſuppetias adverſus Valerianum Caeſarem miſerit. Mox Anonymum quendam Armeniae Regem Artavasdis huius filium, ac ſucceſſorem exhibet, qui Chriſtianam religionem ſub Diocletiano Caeſare amplexus Maximinum Caeſarem in bello adverſus Narſetem Perſarum Regem ſuſcepto adiuvit; tandemque Tiridatem III. huius Anonymi filium, atque Artavasdis nepotem Conſtantini M. temporibus ad Chriſtianam religionem, a qua Armenii defecerant, rediiſſe ſcribit Vaillantius. Ac poſtremam hanc quidem hiſtoriae partem ex perperam intellecto Sozomeni loco in Vaillantium irrepſiſſe eruditus Vir obſervavit, qui Arſacidarum hiſtoriam a Vaillantio contextam edidit; ideoque Tiridatis huius loco Anonymum alium Anonymi filium, atque Artavasdis nepotem in Armeniae Regum ſerie recenſendum aſſeruit. Ego vero perſpicuo Zonarae teſtimonio deprehendi quod *Arſaci* II. Artabani fratri non *Artavasdes*, ſed *Tiridates*, ſucceſſit, qui patris inſtar Perſarum Regibus infenſus fuit. Etenim Scriptor ille de Galli, & Voluſiani imperio loquens, ait (*b*): Ηῤξατο δ' αὖθις ἐπὶ τύτυ ἡ κίνησις τῶν Περσῶν, καὶ κατεσχέθη παρ' αὐτῶν ἡ Αρμενία τῦ ταύτης βασιλέως Τυριδάτῃ φύγοντος, τῶν δέ παίδων ἐκείνυ προσρυέντων τοῖς Πέρσαις *ſub hoc motus Perſarum recruduit, qui Armeniam occuparunt, Tyridate Rege fuga elapſo, cuius filii ſe ad hoſtes contulerant.* Ergo, ſi Tiri-

(*a*) Cap. IV. (*b*) Annal. Libr. XII. c. 21.

Digitized by Google

Tiridates ille in primis Perſarum motibus Galli Caeſaris aetate Armeniae regno ſpoliatus fuit, id anno V. C. 1006. ſive Chr. 253. contigiſſe debuit, quo Sapor Perſarum Rex Armeniam, aliasque Orientis provincias invaſit; ut optime proinde Artavasdes, qui ſuperſtite adhuc Tiridate patre Saporis partes amplexus fuerat, anno Chr. 258. una cum Sapore ipſo adverſus Valerianum Caeſarem militaverit, ut teſtatur Trebellius. Itaque Tiridates ipſe inter Arſacem II., & Artavasdem inſeri debet, eique duo Nummi adſcribendi ſunt, in quibus epocha, ſive annus 474. & 480. reperitur, quorum alter ad annum Chr. 246. alter vero ad 252. ſpectavit. Artavasdi autem eius filio Nummus alius tribuendus erit, in quo reperitur epocha 491. ideoque ad annum Chr. 263. revocandus eſt. Denique Nummus alius epocha 508. ſive anno Chr. 280., & fortaſſe quoque Froelichii Nummus epocha 520. ſive anno Chr. 292. inſignis, quem Cl. Scriptor Sapori Perſarum Regi adſcripſerat, Artavasdis filio tribuendus erit, cuius nomen ignoratur, eiuſque Arſacis pater, aut avus dicendus ille erit, qui Conſtantii Caeſaris aetate Armeniis imperavit (a) & Param filium in Armeniae regno ſucceſſorem habuit.

(a) Ammian. Marcel. Lib. 27: c. 12.

Digitized by Google

§. IV.

Nummus Arſami Perſicae ſtirpis Regi tributus ad Arſamem Ciliciae Regulum, ſive ad Arſacem Parthiae, vel Armeniae Regem revocatur.

NUmmos omnes, in quibus aut *Arſacis* nomen, aut etiam, diſſimulato Regis nomine, ſola *Arſacidarum* epocha una cum ſolito Arſacidarum Regum ornatu, vel ſymbolo reperitur, ad ſolos Arſacidas olim Parthiae, mox Armeniae Reges referendos eſſe ſuperius oſtendi; ideoque Nummos, in quibus utrumque expreſſum conſpicitur, prorſus immerito ad Perſarum Reges a Vaillantio, & Froelichio revocatos eſſe demonſtravi. Ipſa rerum affinitas atque connexio nunc poſtulat, ut eximium quoque Nummum alium, qui nuper doctiſſimi Viri diligentia lucem adſpexit, atque aliorum inſtar ad Perſicae ſtirpis Regem revocatus fuit, non ad alios facilius, quam ad Arſacidas ipſos Armeniae, vel Parthiae Reges, referendum oſtendam.

Cl. Froelichius, qui maximo atque admirabili prorſus ingenii acumine, ac eruditionis ubertate de re Nummaria praeclare iam meritus fuerat, anno ſuperiori 1752. *Regum Veterum Numiſmata anecdota, aut perrara* edidit, ac illuſtravit. Inter eiusmodi Reges Eruditis omnibus hactenus ignotos habendum eſſe putavit *Arſamem* quendam, cuius aeneum mediae formae Nummnm in Auſtriaco Muſeo ipſe omnium primus obſervaverat. Nummus ille, ut a Froelichio deſcribitur *(a)*, in

(*a*) Pag. 13.

in antica parte *Caput mitra Perſica conoide tectum*, *vultu pinguiculo*, & *imberbi* exhibet; in adverſa vero *Thyrſum cum duabus faſciis decuſſatis* una cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΣΑΜΟΥ ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΥ *Regis Arſamis Deum colentis*, & *Iuſti*. Quandoquidem ergo in hoc Nummo non ΑΡΣΑΚΟΥ *Arſacis*, ſed nitide diſtinctеque legitur ΑΡΣΑΜΟΥ *Arſamis*, Cl. Editor exiſtimavit hunc Nummum ad *Arſamem* quendam referendum eſſe, qui in Perſide imperaverit; cumque ex Hiſtoricis varios quidem eius nominis viros memorari conſpiceret, ſed nulli tamen veriſimilius hunc Nummum adſcribi poſſe cenſeret, quam Arſami, qui Darii Codomani, ut Froelichius quidem exiſtimat, poſtremi nempe Perſarum Regis, pater fuit, novum hunc Regem hactenus incognitum eruditis viris exhibuit.

Ego vero, doctiſſimi viri pace, Nummum ipſum neque ad *Arſamem* Darii patrem, neque ad ullum ex veteribus, ac recentioribus etiam Perſarum Regibus referri poſſe crediderim, ſed ad *Arſacem* aliquem ſpectaſſe exiſtimo, qui vel in Parthia, vel in Armenia imperaverit; aut certe, ſi non *Arſacis*, ſed *Arſamis* cuiusdam, Nummus eſſe ille debeat, ad Arſamem potius Ciliciae Regem revocandum eſſe putaverim.

Ac initio quidem, ut Nummum Arſami Darii patri adſcribi non poſſe oſtendatur, ſimulque verum Darii genus hactenus obſcurum paullo ſubtilius, atque accuratius demonſtretur, obſervari plurimum velim, quod Arſames ille Darii Codomani pater neque regia ſtirpe genitus, nec unquam *Regis* titulo aut honore decoratus fuit. Facile id quidem novi quod in vulgato Diodori loco, quem Froelichius etiam exſcripſit, Arſames ille veluti Artaxerſis Ochi frater, adeoque Artaxerſis Memnonis Perſarum Regis filius (*a*) exhibetur. Etenim de Dario loquens Diodorus ait: Οὗτος ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνȣ, ὅς ἦν ἀδελφὸς Ἀρταξέρξȣ

 τȣ̃

(*a*) Lib. XVII. c. 5.

τοῦ Περσῶν βασιλεύσαντος *hic filius quidem erat Arſanis, qui frater fuit Artaxerſis Perſarum Regis*. Sed, ut optime Rhodomannus, ac Weslingius obſervarunt, in Codicibus aliis legitur υἱὸς μὲν Ἀρσάνου τοῦ Ὀστάνου, ὃς ἦν ἀδελφὸς *filius quidem Arſanis nepos Oſtanis, qui frater, &c.* atque ita ſane in Diodori textu *Oſtanis* etiam nomen legendum eſſe pluribus, optimiſque rationibus Interpretes illi oſtenderunt; adeoque Diodori loco ſic reſtituto Arſames Darii Regis pater Oſtanis filius, & Ochi patruelis eſſe deberet. Mihi tamen vehemens ſuſpicio ſuboritur quod Diodori locus, addito quoque *Oſtanis* nomine adhuc mutilus ſit, eiuſque narratio hac in parte minus accurata, & falſa cenſenda ſit; cum Arſames Darii pater nihil prorſus ad regium Perſarum ſtemma ſpectaverit. Etenim Diodorus ipſe, veluti ſibi inconſtans, atque ab eius Hiſtorici, quem pridem exſcripſerat, ſententia diſcedens, quum dixiſſet Arſen Perſarum Regem a Bagoa eunucho una cum liberis interemptum eſſe, ſubdit: *(a)* ἐρήμου δ' ὄντος τοῦ Βασιλέως οἴκου, καὶ μηδενὸς ὄντος τοῦ κατὰ γένος διαδεξαμένου τὴν ἀρχὴν, προχειρισάμενος ἕνα τῶν φίλων Δαρεῖον ὄνομα, τούτῳ συγκατεσκεύασε τὴν βασιλείαν *regia domo ſic ad ſolitudinem redacta, nemo ex ea gente ſupererat, qui ſucceſſionem in regno ſibi vindicaret. Darium ex amicis quendam in poſſeſſionem collocat*. Ergo Darius Bagoae quidem amicus, ſed ex ipſa tamen Regum ſtirpe oriundus non erat; alioquin ſibi ſucceſſionem in regno vindicare ille poterat. Ita propemodum Strabo *(b)* aſſerit a Bagoa Darium electum eſſe οὐκ ὄντα τοῦ γένους τῶν Βασιλέων, *qui ex Regum genere non erat*. Hinc Alexander apud Curtium *(c)* Dario exprobravit quod ille *non hæreditarium Perſarum regnum accepit*; atque in epiſtola ad ipſum data *(d)* ait quod ille regnum οὐ δικαίως, οὐδὲ κατὰ

(a) Loc. cit.
(b) Lib. XV. pag. 736.
(c) Lib. V. c. 11.
(d) Arrian. Lib. II. pag. 120.

Digitized by Google

κατὰ τὸν Περσῶν *νόμον neque iuſte, neque ſecundum Perſarum legem* obtinuit. Accedit etiam quod Darius non alio, quam *Aſtandis*, nimirum *Curſoris*, aut etiam, ſi libeat, *Curſorum Praefecti*, munere initio fungebatur, (*a*) quod privato quidem ex Perſarum primoribus conveniens, ſed regio tamen Principe indignum putabit quicumqne regiam Perſarum maieſtatem ſpectaverit. Neque *Aſtandes* ſolum, ſed etiam Plutarcho teſte aliorum privatorum inſtar Regis *δοῦλος ſervus* erat; quemadmodum Aelianus (*b*) ait quod *Δαρεῖος δούλης*, ſive ut optime Gronovius legendum eſſe demonſtrat, *δοῦλος*, aut *δούλου υἱὸς ἦν Darius ſervus*, aut *ſervi filius erat*; unde non regiae ſtirpis gloria, ſed ſolo roboris & bellicae virtutis merito mox ab Ocho Armeniis praefectus fuit (*c*). Itaque Arſames Darii pater ſpectati quidem generis, ſed non regii, fuit; ideoque ab illo Arſame perſpicue certoque diſtingui debet, qui ab Ocho eius fratre una cum ceteris regiae ſtirpis Principibus occiſus fuit. Hinc optime Siſigambis Darii mater dum infortunia ſua enumerat ait *octoginta fratres ſuos eodem die ab Ocho ſaeviſſimo Regum trucidatos, adiectumque ſtragi tot filiorum patrem: e ſeptem liberis, quos genuerat ipſa, unum ſupereſſe*, nempe Oxyathrem, quem inter amicos Alexander receperat, (*d*) *ipſum Darium floruiſſe paulliſper ut crudelius poſſet extingui* (*e*). Quis hic aperte non videat quod ſi Siſigambis eius Arſamis uxor fuiſſet, qui ab Ocho fratre interemptus fuit, Siſigambis ipſa non patris ſolum, fratrumque caedem ab Ocho patratam, ſed etiam Arſamis mariti mortem principe loco memoraſſet; quemadmodum prorſus nefarius Rex Ochus una cum Arſame, Darium quoque trucidaſſet, ſi vere hic ab Arſame Ochi fratre natus fuiſſet; adeoque ad regni ſucceſſio-

(*a*) Plutar. de fort. Alexan.
(*b*) Var. Hiſt. Lib. XII. c. 43.
(*c*) Iuſtin. Lib. X.
(*d*) Curt. Lib. VII. c. 5. Diod. Lib. XVII. c. 34.
(*e*) Curt. Lib. X. c. 5.

ceſſionem, ſublato Ocho patruo, adſpirare potuiſſet? Ac certe quidem Iuſtinus (*a*) aſſerit quod Ochus *timens parem coniurationem* illi, qua nuper quinquaginta Artaxerſis Memnonis filii in patrem inſurrexerant, *regiam caede, & ſtrage Principum replevit*; (*b*) & Valerius Maximus ait quod ille *patruum cum centum amplius filiis, ac nepotibus iaculis confixit*. Quo ſane illuſtri Iuſtini, ac Valerii teſtimonio, ſi cum ſuperiori Curtii loco conferatur, non modo perſpicue apparet quod Siſigambis ad regium Principum ab Ocho interemptorum genus ſpectabat, ideoque vel Oxyathris, vel potius Oſtanis, filia erat, qui ſimul cum liberis ab Ocho fratris filio interemptus fuit; verum etiam facilis, ut opinor, veruſque modus affulget, quo vitiatus ille Diodori locus apte reſtitui poſſit, ut Diodorus ipſe cum Scriptoribus aliis componi, ſibique conſtare videatur. Quid enim ſi in Diodori textu ubi vitioſe certe de Dario nunc legitur *οὗτος ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνου τοῦ Ὀστάνου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἀρταξέρξου bic filius quidem erat Arſanis filii Oſtanis, qui frater fuit Artaxerxis*, levi, facilique mutatione reſcribatur *οὗτος ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνου τοῦ γαμβροῦ τοῦ Ὀστάνου bic filius quidem erat Arſanis generi Oſtanis*; ſive, ſi libeat, *ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνου, καὶ τῆς θυγατρὸς τοῦ Ὀστάνου filius erat Arſanis, & filiae Oſtanis*? Ita ſane duobus ſolum vocibus *τοῦ γαμβροῦ* in textu alioquin mutilo reſtitutis, quae ob iteratum articulum *τοῦ* a celeri exſcriptore praeteriri facile poterant, integer Diodori locus cum ceteris Scriptoribus, ac Diodoro ipſo conſpirabit. Sed longe tamen concinnior, ac niſi mea me fallit opinio, vera Diodori lectio eſſe debet: *οὗτος ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνου, θυγατριδοῦς δὲ Ὀστάνου bic erat filius quidem Arſanis, nepos autem ex filia, Oſtanis*. Siquidem particula *μὲν*, quae praeceſſerat, facilius requirit ut alia *δὲ* conſequatur, ideoque Darius Arſanis *quidem* filius, Oſtanis *autem* nepos, vel filiae filius dicatur. Ceterum, quae-

(*a*) Lib. X. (*b*) Lib. IX. c. 2. n. 7.

quaecumque demum emendatio eligatur, ſemper unus idemque ſenſus prodibit; atque illuſtrius adhuc conſtabit quod Arſames ille, cui Siſigambis nupta fuit, ex illuſtri quidem genere natus erat, ut ipſi regiae ſtirpis femina deſponderi potuerit; ſed ad ipſum tamen regium genus referri, aut Ochi Regis frater eſſe non poterat, ut in ſubiecto Stemmate apparet.

Darius Nothus

Artaxerxes — Cyrus — Oxiatres — Oſtanes

(Artaxerxes:) Darius Ochus — Ariaſpes — Arſames

(Oſtanes:) Siſigambis — Arſames

(Darius Ochus:) Arſes

(Siſigambis, Arſames:) Darius Codomanus.

Atque iſta quidem paullo fortaſſe uberius expoſita ſint, ut gravis ille Diodori locus intelligi, verumque Siſigambis, Arſamis, ac Darii genus hactenus implexum oſtendi poſſet; ut exinde quoque facile deprehenderetur Arſamem Darii patrem neque regio Perſarum genere natum, neque *Regis* titulo unquam donatum fuiſſe; ideoque Nummum *Arſamis Regis* nomine inſignem ipſi adſcribi non poſſe.

Sed, quamvis etiam liberius concedatur Arſamen Darii patrem cum Arſame Ochi Regis fratre confundi poſſe, ut ex depravato Diodori loco putavit Froelichius, quo tamen vade, vel argumento probari unquam poterit hunc Ochi fratrem aliquando *Regis* titulo decoratum fuiſſe; ut proinde Nummus *Regis* titulo, erectaque tiara inſignis ab illo cudi potuerit? Plutarchus (*a*) quidem aſſerit quod Artaxerſes, ut Ochum filium

(*a*) In Artaxer.

Digitized by Google

filium de regni conſequendi ſpe deiiceret, Dario natu maximo regium nomen conceſſit, ipſique indulſit *κίθαριν ὀρθὴν φέρειν cidarim erectam geſtare*; hoc eſt, ut ait Iuſtinus *(a)*, *inſignia maieſtatis ſuae*; cum erectam cidarim, vel tiaram deferre ſolis Regibus apud Perſas liceret *(b)*. Aſſerit etiam Plutarchus quod Artaxerſes Arſamem filium alium non iuſtis nuptiis, ſed ex pellice ſuſceptum eximio amore complectebatur; ſed nullibi tamen Plutarchus ipſe, vel Iuſtinus, vel Scriptor alius indicavit hunc Arſamen *Regis* titulo donatum eſſe, quamvis id de Dario natu maximo memoraverint. Quinetiam ex integro Plutarchi loco oppoſitum potius perſpicue demonſtratur. Etenim, ſi Artaxerſes non alia de cauſſa Dario primogenito regios honores vivens adhuc conceſſit, quam ut Ochum ab affectandi regni ſpe deiiceret, filioque natu maximo imperium aſſereret, qui fieri unquam potuit, ut Arſami notho filio pares omnino regios honores tribueret, ideoque non ſolum Ochi, ſed Darii quoque animum acrius incenderet? Haec perſpicue ſatis, opinor, oſtendunt regium nomen Arſami Ochi fratri concedi non poſſe; cum praeſertim ex veteri Perſarum lege, nonniſi defuncto Rege uſurpari illud poſſet; ac mirae prorſus Artaxerſis humanitati tribuatur, quod ille ſuperſtes adhuc regios honores Dario, primogenito nempe filio, ac ſucceſſori conceſſerit.

Froelichius *(c)* tamen ſubtiliter ille quidem, ac ingenioſe coniecit quod *Regis* nomen non ſupremis ſolum Perſarum Regibus, qui proinde *Regum Reges* dicebantur, ſed *Satrapis* etiam, aut Urbium Praefectis tribui conſueverit; idque Memnonis Rhodii exemplo confirmari poſſe putavit, qui Hermiam Atarnenſium tyrannum occidit, atque ab Ariſtotele *Perſarum Rex* appellatur cum ait *(d)*

Τόνδε

(a) Lib. X. c. 1.
(b) Xenoph. de Exp. Lib. II. Viden. Briſſon. Lib. I. n. 46.
(c) Pag. 21.
(d) Laert. Lib. V. ſeg. 6.

Τόνδε πότ' ὀυχ ὁσίως, παραβὰς μακάρων θέμιν ἀγνὴν
Ἔκτεινεν Περσῶν τοξοφόρων Βασιλεύς.

Hunc olim inique, violans ſanctum beatorum ius
Occidit Perſarum arcitentium Rex:

quo ſane loco *Regis* nomine Froelichius Memnonem ipſum Aſiaticae orae Praefectum deſignari putavit.

At reponi facile poterit quod Hermias ille Diodoro *(a)* teſte non a Memnone, ſed a Mentore, captus fuit, quem Diodorus ipſe non *Regem*, ſed Στρατηγὸν αὐτοκράτορα *Praefectum*, & Σατράπην *Satrapam* appellavit. Sed, quamvis etiam Strabonem hic potius ſequamur, cui Poliaenus (*b*) & Ariſtoteles *(c)* ipſe conſentit, idque a Memnone factum dicatur, nunquam tamen inferri inde poterit *Regis* nomen ab Ariſtotele aut Mentori, aut Memnoni conceſſum fuiſſe. Siquidem Strabo non modo Memnonem illum ὑπηρέτην, ϗ Στρατηγὸν *Miniſtrum*, *&* *Praefectum* appellat; verum etiam perſpicue teſtatur quod Hermias a Memnone quidem dolo captus, atque ad Artaxerſem miſſus; ſed ab Artaxerſe tamen in Perſide in crucem actus fuit. Ergo τοξοφόρων Περσῶν βασιλεὺς *arcitentium Perſarum Rex*, qui Hermiam occidit, ex ipſo quoque Strabonis teſtimonio non *Memnon*, ſed *Artaxerſes* ſolum intelligi profecto debet; & quamvis etiam Hermias non alterius, quam Memnonis, manu interemptus foret, ſemper tamen id Artaxerſi potius a Poeta adſcribi potuiſſet, cuius imperio mors illa inflicta fuerat. Itaque, niſi perſpicua, & certiora exempla proferantur, vix ac ne vix quidem effingi poterit erectam cydarim, & *Regis* nomen aut Satrapis, aut Praefectis aliis in Perſide conceſſum eſſe; quemadmodum ſane Cyrus quamvis ab Artaxerſe

(*a*) Lib. XVI. c. 52.
(*b*) Stratag. Lib. VI. c. 48.
(*c*) Oecon. Lib. II. p. 692.

Digitized by Google

Memnone fratre tum Lydiae (*a*), tum maritimis Satrapiis omnibus praefectus eſſet, nunquam tamen *Regis* nomen obtinuit, nullibique legitur quod *erectam* cydarim, Regis nempe inſigne, geſtaverit.

Sed utrumque tamen aliquando licuiſſe fingatur, ut Perſidis Praefecti, eorum Regum inſtar, qui Perſarum imperio obnoxii fuerant, *Regis* nomen acceperint; quis tamen exiſtimet ab iis Nummos tiara Regiſque titulo inſignes cudi potuiſſe; cum ubique gentium ſignandae monetae ius ad Reges ſpectaret; ac nullo prorſus exemplo oſtendi poſſit Nummos ab alio ſignatos eſſe, quam qui legitimo imperio potiretur, aut certe ſimul cum imperio, cudendae quoque monetae ius uſurpaſſet? Certe Aſander, dum adhuc Boſphorus in alterius poteſtate foret, in Nummis ſe *Ethnarcham*, & *Archontem* vocavit (*b*); ubi vero Boſphori imperium ſibi ab Auguſto conceſſum fuit, regium quoque nomen Nummis inſcripſit. Ac ſane, ſi in Perſarum, Parthorum, aliarumque Gentium Nummis non ſola *Regum*, ſed ipſa quoque *Satraparum*, vel *Praefectorum* nomina eodem ipſo *Regis* titulo inſignia inſcribi potuiſſe quis dixerit, iam facile Regum ſeries Nummorum ope contexta perturbabitur; nulloque diſcrimine veri, a fictitiis his Regibus diſtinguentur, adeoque maxima Nummorum utilitas miris ambagibus irretietur. Ergo, niſi perſpicuis teſtimoniis aliis appareat a Satrapis ipſum quoque *Regis* nomen uſurpatum, ac Nummos ſignatos fuiſſe, ut de Ponti, Thraciae, & Cappadociae Satrapis mox oſtendetur, prorſus immerito Nummus aliquis ignoti Regis nomine inſignis ad Satrapam, vel Praefectum aliquem referretur.

Nihil eſt tamen cur his, aliiſque id genus argumentis hic immorer, cum ex ipſa quoque characterum forma perſpicue deprehendi poſſit quod Froelichii Nummus

(*a*) Xenoph. de Exped. Libr. I. Iuſtin. Lib. V.

(*b*) Vaill. pag. 210. & 212. 214.

Digitized by Google

mus neque ab Arſame Darii patre, neque ab Arſame Ochi fratre, neque ab ullo Perſicae ſtirpis Rege cudi potuit. Etenim Arſamis, & ipſa quoque Darii aetate Graeca lingua Perſis incognita, ac peregrina fuit, adeoque Perſarum ſinguli, ac praeſertim Reges, non alio, quam patrio Perſarum idiomate utebantur. Hinc Themiſtocles cum patria pulſus ad Xerſem Perſarum Regem confugiſſet, eumque remotis arbitris, ac ſine interprete alloqui cuperet, unius anni ſpatio Perſicae linguae addiſcendae incubuit *(a)*; quemadmodum Alcibiades dum in Perſide verſaretur linguam ipſam didiciſſe legitur (*b*); & Penceſtes, quem Alexander Macedo Perſidis Satrapen conſtituit, Perſice loqui curavit, ut facilius viris Perſice ſolum loquentibus imperaret. Ac, ne cetera id genus exempla perſequar, perſpicuo quoque Curtii loco erudimur Darii temporibus Graecam linguam Perſis incognitam fuiſſe. Etenim Curtius *(c)* cum inſidias a Beſſo Dario Regi ſtructas a Patrone Graecorum Duce deprehenſas eſſe dixiſſet, ſubdit quod Patro Regi nunciavit *ſe, ſed remotis arbitris, loqui velle cum eo; iuſſuſque propius accedere, ſine interprete (nam haud rudis Graecae linguae Darius erat)* inſidias a Beſſo ſtructas indicavit. *Beſſus* vero, *quanquam erat Graeci ſermonis ignarus, tamen ſtimulante conſcientia indicium profecto detuliſſe Patronem credebat, & interpretis Graeci relato ſermone exempta dubitatio*. Quis non intelligat Graecam linguam ita Perſis ignotam fuiſſe, ut Graecis Regem allocuturis interpres adhibendus eſſet; Beſſus ipſe Regis Praefectus eius linguae imperitus foret; idque peculiari Darii gloriae tribuatur, quod Graeci idiomatis non omnino rudis haberetur? Itaque, ſi in tanta Perſici imperii gloria Perſarum Reges ſuis omnino moribus, ſuoque idiomate utebantur, quis in Perſarum Nummis non Perſicos, ſed Graecos potius chara-

 racte-

(*a*) Quintil. Lib. XI. c. 2. Plutar. in Them. Corn. Nep. c. 30. Diod. Lib. XI. c. 57.

(*b*) Athen. Lib. XII. c. 9.

(*c*) Lib. V. c. 11.

Digitized by Google

racteres uſurpatos eſſe arbitretur ; ut proinde Arſamis, ac Darii aetate Perſici Nummi cum Graeca epigraphe cuderentur? Proximis quidem temporibus a Parthis Regibus fieri id potuit, cum inſtituto iam Seleucidarum imperio, Syriaeque Regibus in Perſide, ac Parthia imperantibus Graeca lingua frequentius adhiberetur, ac praecedentium Regum aetate Nummi Graeca epigraphe inſignes in Parthia viderentur. Quis tamen ea quoque aetate id fieri potuiſſe exiſtimet, qua Perſae imperii ſui maieſtatem conſervabant, & Graecos omnes veluti barbaros fere averſabantur?

Quod ſi fortaſſe quis dixerit hunc Nummum in Graecanica quadam Aſiae urbe cuſum fuiſſe, in qua Arſames Ochi frater *Satrapae*, vel *Praefecti*, vel *Regis* nomine frueretur, non modo argumenta cetera ſuperius expoſita opponi poſſent, ſed illud etiam huic coniecturae perſpicue adverſabitur, quod Arſames Ochi frater, veluti patri carior, Artaxerſis patris lateri ſemper adhaeſerit; ut proinde Plutarcho teſte Artaxerſes occiſo Dario magis ac magis amplexus ſit Arſamen, nec obſcure tulerit ei in primis ſe fidere, atque in eius ſinum omnia deponere. Itaque immerito prorſus fingeretur Arſamem aut Urbis aut Provinciae Praeſidem, ac Regem fuiſſe, ut in illa Nummi Graecis characteribus exarati, eiuſque vultu inſignes cudi potuerint. Accedit etiam quod Regis vultus Nummo inſcriptus *pinguiculus*, *& imberbis* eſt, ideoque Regi cuidam adſcribendus videtur, qui aetate floreret. Arſames autem ille Ochi frater facile quinquageſimum annum iam attigerat, quum iampridem Darius eius frater 54. aetatis anno Regios honores a patre obtinuerit. Itaque Nummus ille, qui *Arſamis* nomen, ac Regiam dignitatem Graecis hiſce literis exhibet, neque *Arſami* Darii patri, neque ulli prorſus ex antiquis Perſarum Regibus adſcribi poteſt.

Nihil eſt autem cur in inquirendo Rege diutius immorer, cui Nummus ille tribuendus ſit. Etenim vix

ullus

Digitized by Google

ullus dubitandi locus eſſe iam poterit quin ſolum *Arſacis* nomen ipſi inſcriptum credatur, adeoque Nummus ad aliquem ex *Arſacidis* ſive Parthiae, ſive Armeniae Regibus referatur. Froelichius quidem ſemel iterumque admonuit in illo non ΑΡΣΑΚΟΥ ſed ΑΡΣΑΜΟΥ exaratum, ideoque non *Arſacis*, ſed *Arſamis* legendum eſſe. Sed eiuſmodi tamen argumenti vis facile elidi poterit, ſi obſervetur quod in pluribus etiam aliis Arſacidarum Nummis, ut innumera aliorum Nummorum exempla omittam, in Arſacis nomine peccatum fuit. Sic in Arſacis XXVI. Nummo apud Vaillantium legitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΝΟΥ ΕΥΙΡΓΙΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΧΟΣ, quatuor nempe errores ab imperito artifice admiſſi ſunt, Regiſque nomen, ſi Froelichium ſequamur, non *Arſaces*, ſed *Arſanes* eſſet. In Artaxerſis Arſacis, ut putat Vaillantius (*a*), ſive, ut oſtendi, *Tiridatis* Nummo legitur ΑΡΓΑΚΟΥ; ideoque novus, & incognitus Rex alius *Argaces* effingi deberet. In Nummis aliis habetur ΑΡΣΑΧΟΥΣ, adeoque *Arſachis* nomen hic temere cudendum foret. Denique in *Saporis*, ſi Vaillantium audimus (*b*), hoc eſt in *Artavaſdis* filii Nummo legitur ΑΡΣΑΠΚΟΥ *Arſapcis*, adeoque novus Rex alius admittendus eſſet. Quemadmodum ergo in Nummis iſtis ſolo artificis vitio factum fuit, ut ΑΡΣΑΚΟΥ, vel ΑΡΣΑΝΟΥ, vel ΑΡΣΑΠΚΟΥ exaratum foret, nullumque prorſus aliud, quam *Arſacis*, nomen ubique intelligi vel admitti debet; ita quoque in Nummo, quem Froelichius exhibuit, quamvis aberrantis Scalptoris vitio exaratum fuerit ΑΡΣΑΜΟΥ, non aliud tamen, quam *Arſacis*, nomen agnoſci debet; ideoque hic etiam Nummus non ad incognitum Regem aliquem, multoque minus ad *Arſamem* Darii patrem, ſed ad *Arſacem* aliquem ſpectavit.

Ne tamen in characteribus huic Nummo inſcriptis errorem liberius fingere hic videar; ideoque Nummum

(*a*) Pag. 391. (*b*) Pag. 391.

mum *Arſaci* tribuere, quem facile fortaſſe quiſpiam doctiſſimi Viri iudicio, & autoritate abreptus ad *Arſamem* quendam referendum eſſe contendat, id unum coronidis loco addidiſſe nunc libet, quod ſi Nummus ille non ad Arſacem, ſed ad Arſamem potius ſpectaverit, ex pluribus tamen Arſamis a Froelichio memoratis non alteri ſane Nummum conceſſerim, quam Arſami, qui Darii temporibus Ciliciae praefuit; cum facile is ſolum *Regis* etiam titulo inſignis videatur. Arrianus *(a)* quidem ait quod Alexandro Ciliciae fines ingreſſo *ἀγγέλλεται Ἀρσάμης ὅτι πρόσθεν μὲν ἐπενόει διασώζειν Πέρσαις τὴν Ταρσὸν ... ὁ Ἀρσάμης μαθὼν αὐτοῦ τὴν ὁρμὴν σπουδῇ φεύγει ἐκ τῆς Ταρσοῦ παρὰ βασιλέα Δαρεῖον* *nunciatum eſt Arſamem, qui initio Tarſum Perſis conſervare ſtatuerat ... Arſames certior factus de eius adventu confeſtim ex Tarſo ad Regem Darium fugit.* Ita propemodum Curtius *(b)* narrat quod *Arſanes, qui Ciliciae praeerat, igne ferroque Ciliciam vaſtat, ut hoſti ſolitudinem faciat.* Nullibi vero aut Curtius, aut Arrianus, aut ullus Scriptor alius huic Arſami, qui Ciliciae praeerat, eamque Perſis conſervare cupiebat, *Regis* nomen conceſſit; ideoque ſemper ambiguum, & obſcurum foret an ab illo Nummus cudi, Regiſque titulo ornari potuerit. Quamvis tamen a Scriptoribus illis huic Arſami *Regis* nomen nitide diſerteque non tribuatur; illuſtri tamen Xenophontis, & Cteſiae teſtimonio deprehendiſſe videor, quod facile *Regis* etiam nomen iis temporibus Ciliciae Praefectis Perſarum imperio ſubiectis concedebatur. Etenim Xenophon *(c)* ubi de Cyri minoris expeditione adverſus Artaxerſem Memnonem fratrem exeunte Olymp. 95. ſuſcepta loquitur, ſingulos *Ἄρχοντας τῆς Βασιλέως χώρας* *Praefectos regiae ditionis* enumerat, atque inter alios Cappadociae Mithridatem *(d)*, Thraciae Seuthem, Syenneſin Cili-

(a) Libr. II. p. 89.
(b) Lib. III. c. 4.
(c) Libr. VII. pag. 250.
(d) Libr. I. p. 146. 147.

Ciliciae, Pharnabazum Bithyniae memorat. Alibi vero Syenneſim ipſum iterum tertioque τῶν Κιλίκων Βασιλέα *Cilicum Regem* fuiſſe dicit, urbemque Tarſum eius βασίλειον *regiam* appellat; quemadmodum Herodotus (*a*), ubi regiae claſſis Duces enumerat, qui Olymp. 75. Xerſem adverſus Graecos dimicaturum ſequuti ſunt, Syenneſim Cilicem Oromedontis filium memorat, qui facile Syenneſis huius Ciliciae Regis avus fuit. Cteſias quoque accuratus ille Perſicorum Scriptor Artaxerſi Memnoni, & Cyro coaevus ait quod utrique fratri favere conabatur Συέννεσις ὁ Κιλίκων βασιλεὺς *Syenneſis Cilicum Rex* (*b*). Itaque dubitari non poterit quin, ſicuti Mithridati, & Seuthi, quorum maiores initio Satrapae ſolum, & Provinciarum Praefecti fuerant, regium quoque nomen, cudendaeque pecuniae ius a Perſarum Regibus conceſſum, eorumque poſteris conſervatum fuit (*c*), ita quoque Syenneſi Ciliciae Praeſidi *Regis* titulus ſignandaeque monetae poteſtas conceſſa fuerit, quae haereditario veluti iure ad poſteros etiam profluxerit. Ergo Arſames ille, qui Darii temporibus Ciliciae praeerat, ac fortaſſe Syenneſis filius, aut nepos fuit, eodem ipſo *Regis* titulo ornari, aliorumque eiusmodi Regum exemplo Nummos ſignare potuit; quemadmodum prorſus temporibus mox inſequutis *Tarcondimotus (d)* Ciliciae Rex Nummos ſignavit, quos omnium primus Cl. Maffeius exhibuit, atque erudite illuſtravit.

Certe in hac hypotheſi facile intelligi, & explicari iam poterit cur *Arſamis* Nummus non Perſicis, ſed Graecis characteribus in Cilicia uſitatis exaratus ſit; cur Arſames ipſe non Perſico ritu barbatus, ſed imberbis videatur; cur *Regis* titulo, Cappadociae, Ponti, Thraciae, aliarumque Gentium Satrapis Perſarum imperio ſubiectis communi decoretur; cur tiaram eadem

(*a*) Libr. VII.
(*b*) Apud Phot. Cod. 72.
(*c*) Vid. Vaill. Hiſt. Ponti p. 6.
(*d*) Antiqu. Gall. p. 15.

Digitized by Google

dem prorſus forma conoidem, & erectam gerat, quae ornatior ſolum in Mitridatis etiam Ponti *Satrapae*, ſimulque *Regis* Nummo conſpicitur (*a*); praeſertim vero cur in adverſa Nummi facie non *Sagittarius*, aut alia Parthicorum, vel Perſicorum Nummorum ſymbola, ſed *Thyrſus* occurrat, qui Bacchi cultum Cilicibus uſitatum exprimat. Ac certe quidem apud Cilicas Bacchi cultum non modo floruiſſe, ſed Nummis etiam inſculpi, vel exprimi conſueviſſe ex duobus Cilicum, vel Tarſenſium Nummis in Muſeo Theupolo (*b*) nuper vulgatis obſervavi, in quibus Idolum, fortaſſe nimirum Bacchus ipſe, Pantherae gradienti impoſitum conſpicitur. Celebre autem eſt Pantheras Baccho ſacras fuiſſe, non modo quod ille a Panthera nutritus diceretur; verum etiam quod Pantherae vino delectari crederentur: unde ab Oppiano Poeta Cilice (*c*) *θῆρες φιλάκρατοι ferae meri amantes* vocantur; atque a Philoſtrato (*d*) Πάρδαλις τῦ Διονύσυ σύμβολον *Panthera Bacchi ſymbolum* appellatur.

§. V.

(*a*) Spanh. diſſ. VIII. pag. 482, Beger. T. III. p. 8. Geſn. Tab. II. n. 26.

(*b*) Pag. 1303.

(*c*) Cyneget. Lib. IV. ver. 19. 327. & III. ver. 78.

(*d*) In Imag. Lib. I. n. 15. p. 786.

Digitized by Google

§. V.

Arſames, aliique Armeniae Reges Vaillantio incogniti proferuntur, & varia Scriptorum loca, Urbiumque Graecarum Nummi illuſtrantur.

ERit fortaſſe quiſpiam, qui aut *Regis* nomen, aut cidarim Perſicam *Arſami* Cilicum *Satrapae* concedi non poſſe arbitretur; adeoque potius Arſamem alium inquirendum eſſe contendat, cui Nummus a Cl. Froelichio vulgatus adſcribi debeat. Non is profecto ego ſum, qui in tanta rerum obſcuritate novum hunc Regem perſpicue certoque deprehendi poſſe confidam; cum ſemper Arſames alius inquiri fortaſſe poſſit, cui Nummus ille conveniat. Libuit tamen hic humanis aequiſque lectoribus Arſamem alium Armeniae Regem Froelichio, ceteriſque incognitum proponere; non modo ut feliciores alii decernant an ipſi potius, quam Cilici, Froelichii Nummus tribui poſſit; verum etiam ut varia Scriptorum loca, atque Urbium Graecarum Nummi opportune illuſtrentur.

Atque, ut ab Arſame Armeniae Rege exordiar, Polihenus (*a*) ubi de bello loquitur, quod inter Antiochum *Hieracem*, eiuſque fratrem Seleucum *Callinicum* Syriae Regem exarſerat, ait: Ἀντίοχος Σελεύκȣ τȣ̃ ἀδελφȣ̃ ἀποϛὰς ἔφυγεν ἐις τὴν μέσην τῶν ποταμῶν. ὅτε (ſive ut in codicibus aliis legitur ἄϛο) ϰ̀ αὐτὸν

 τὰ

(*a*) Stratégem. Lib. IV. c. 17.

τὰ τῶν Ἀρμενίων ὄρη διελθόντα φίλος ὢν Ἀρσάβης ὑπεδέξατο Antiochus, cum a Seleuco fratre defeciſſet, in Meſopotamiam fugit, cumque Armeniae montes tranſgreſſum Arſabes ipſius amicus excepit. Arſabem hunc non privatum, ſed Regem aliquem eſſe oportere Caſaubonus, aliique Poliaeni interpretes agnoverunt; ſed illi tamen hunc Regem non in Armenia, ſed in Cappadocia, quaerendum eſſe putarunt; ideoque in Poliaeni textu non *Arſabem*, ſed *Artamenem*, aut potius *Ariamnem* Cappadociae Regem intelligendum eſſe Iuſtini teſtimonio freti contendunt. Etenim Iuſtinus (a) easdem illas fraternas diſcordias memorans ait: *Fratres in mutuum exitium bellum reparant; in eo Antiochus denuo victus multorum dierum fuga fatigatus tandem ad ſocerum ſuum Artamenem Regem Cappadociae provehitur. Interiectis diebus; cognito quod ſibi inſidiae pararentur, ſalutem fuga quaeſivit.. ad Ptolemaeum* Aegypti Regem *hoſtem decurrit, ab arctiſſima cuſtodia elabitur, fugienſque a latronibus interficitur Seleucus quoque iisdem ferme diebus, ammiſſo regno, equo praecipitatus finitur*.

Ego vero Poliaeni verba neque ad Ariamnem Cappadociae Regem referri, neque *Arſabem* Poliaeni cum *Ariamne* Iuſtini confundi poſſe putaverim. Etenim Poliaenus nitide, diſerteque teſtatur quod Antiochus ab Arſabe exceptus fuit, cum is e Syria in Meſopotamiam fugiens Armeniae quoque montes tranſgreſſus erat; ideoque demonſtrat quod ille ex Meſopotamia non in Cappadociam, ſed in Armeniam, quae a Tauro, Maſio, & Niphate monte a Meſopotamia dirimitur (b), convolavit. Ergo Arſabes ille, qui Antiochum ex Meſopotamia Armeniae montes traſgreſſum excepit, non Cappadociae, ſed Armeniae, Rex erat. Deinde vero, ſi Iuſtinus ipſe cum Poliaeno conferatur, dubitari certe vix poterit quin a Scriptoribus illis diſtincta prorſus ac varia Antiochi fuga memoretur. Poliaenus enim aſſerit quod

(a) Lib. XXVII.

(b) Strab. Libr. XI. p. 527.

quod Antiochus in Armeniae montibus receptus, quamvis ab innumeris Seleuci copiis premeretur, eas tamen ingenti clade diſiecit, καὶ σχῆμα τὸ βασίλειον ἀναλαβὼν ἐπιφάνη δείξας αὐτὸν καὶ ζῶντα, καὶ νικῶντα *regium habitum recipiens apparuit, ſe vivum, ac victorem oſtendens*; idque Poliaenus in prima potius Antiochi defectione contigiſſe ſubindicat, quae proxime ad annum V. C. 510. referri debet. Iuſtinus autem aſſerit quod Antiochus in Cappadociam *reparato bello*, & *denuo victus*, tertio nimirum deficiens, conceſſit paullo ante quam e vivis excederet, ſive annum 527. quo Seleucus eius frater interiit. Ergo Arſabes ille a Poliaeno memoratus non in Cappadocia, ſed in Armenia imperavit; eumque non alio, quam *Regis*, titulo decoratum fuiſſe eximio quoque Diodori, ac Polybii loco deprehendi poteſt, quo perſpicue erudimur iis temporibus in Armenia Reges imperaſſe.

Certe Diodorus (*a*) ubi Cappadocum Regum ſeriem, atque hiſtoriam contexuit, memorat Ariarathem Cappadociae Regem anno 2. Oly. CXIV. ab Eumene Macedonum duce ſuperatum, & occiſum eſſe (*b*); eiuſque filium Ariarathem, qui in Armeniam fugerat, poſt Eumenis, ac Perdiccae mortem copiis ab *Ardoate* Armeniae Rege acceptis paternum Armeniae regnum recuperaſſe. Deinde narrat Diodorus Ariamnem Ariarathis huius filium Ariarathi filio ſuo Stratonicem Antiochi Dei filiam uxorem quaeſiiſſe; quemadmodum Ariarathes alius eius filius Antiochidem Antiochi filiam duxit, ex qua *Mithridatem*, alioque nomine *Ariarathem* & ipſum quoque Cappadociae Regem ſuſcepit. Coniugium autem ipſum ab hoc Ariarathe cum Antiochide Antiochi filia initum Appianus (*c*) etiam memoravit; idque contigiſſe dicit poſtquam Annibal ad Antiochum confugerat, iſque bellum adverſus Romanos meditabatur;

H 2

(*a*) Lib. XXXI. ecl. 3. & Appian. Syr. p. 175.
(*b*) Diod. Lib. XVIII. c. 16.
(*c*) Syriac. pag. 88.

Digitized by Google

tur; ideoque, ut Eumenem quoque Pergami Regem ſibi devinciret, filiam reliquam ipſi deſpondit, quam tamen Eumenes Romanis addictus ducere recuſavit.

Eiuſmodi vero connubiorum hiſtoria ſplendidam plane facem ſuppeditat, qua obſcurior quidam Polybii locus intelligi profecto poſſit, qui non Harduino ſolum, ſed ipſi quoque Froelichio facile impoſuit. Narrat Polybius (*a*) quod cum Antiochus quidam obſidere moliretur Α'ρμοσχτα *Armoſata*, ἤ κεῖται πρὸς τῷ καλῷ πεδίῳ καλυμενῳ μεσον Εὐφρατυ, ϗ Τιγριδος, *quae urbs media inter Euphratem, ac Tigrim ſita eſt, in campo, qui pulcher vocatur*, Xerſes ipſius Urbis rex initio quidem fugere conſtituerat; deinde vero veritus ne capta regia univerſum quoque regnum ab hoſtibus diriperetur, Antiochum Regem adivit, ut pacem cum illo componeret. Quamvis autem Antiocho amici ſuadere niterentur ne Xerſem Regem adhuc aetate florentem dimitteret; ſed potius Armeniae regnum ipſi ereptum Mithridati, qui ex Antiochi ſorore natus erat, tribueret; Antiochus tamen non modo Xerſi regnum reſtituit, maximam tributorum partem, quae ſibi a Xerſis patre debebatur, condonavit, ſed inſuper etiam Antiochidem ſororem ſuam ipſi nuptui conceſſit. Perſpicuis his characteribus manifeſtiſſime apparet quod Antiochus ille, qui Antiochidem ſororem ſuam Ariarathi Cappadociae Regi deſponderat, & ſororem aliam, quae fortaſſe Eumeni Regi deſtinata fuerat, Xerſi Armeniae Regi conceſſit, non alius profecto fuit, quam Antiochus cognomento *Magnus*, qui in Syria ab anno V. C. 530. ad annum uſque 566. regnavit, ac bellum adverſus Romanos anno V. C. 560. moliri coepit. Ergo Xerſes Armeniae Rex circa annum ipſum V. C. 560. adoleſcens adhuc florebat.

Exinde vero deprehendi facile poterit Cl. Froelichii error, qui ſuperiorem Polybii locum de Xerſe celebri

(*a*) Excerp. de Virt. p. 1380.

Digitized by Google

lebri illo Perſarum Rege intellexit. Etenim, cum prius *Arſamoſata* Armeniae urbem a Tacito, & Ptolemaeo memoratam ab *Arſame* Darii patre, ſive potius a Dario Arſamis filio conditam, aut nomen ſortitam coniecisset (*a*), mox coniecturam illam *ratione temporis*, *&* *nominis cauſſa* refelli dixit (*b*): quod nimirum ex Polybio urbs illa *iam Xerſis tempore*, ideoque ante Arſamem Darii Codomani patrem, extabat; eaque non *Arſamoſata*, ſed *Armoſata* vocaretur. Sed de vero quidem urbis nomine inferius differetur; de tempore vero, quo Xerſes ille a Polybio memoratus regnavit, ambiguum illud *Xerſis* nomen doctiſſimo Viro fraudi fuiſſe iam vidimus, ut illum ab anno V. C. 560. ad 274. revocaret. Interim vero id veluti certum, atque exploratum conſtitui iam poterit quod circa annum ab V. C. 450. *Ardoates*, circa 510. *Arſabes*, circa 560. *Xerſes* in Armenia imperabat; & quemadmodum Ardoates, & Xerſes perſpicue diſerteque a Scriptoribus *Reges* vocantur, ita quoque titulus ipſe Arſabi concedi debet; nihilque eſſe poteſt quin Ardoates Arſabis, & Arſabes Xerſis pater dicatur. Itaque, licet Vaillantius (*c*) Armeniae regnum ab Artaxia, & Zadriade inſtitutum afferat, idque Vaillantio duce ego quoque iam dixerim, perſpicuum eſt tamen quod antiquiores Reges alii Vaillantio prorſus incogniti in Armenia imperarunt; ideoque facile, Xerſe Rege, vel defuncto, vel expulſo, Armenia ab Antiocho Magno occupata fuit; moxque Artaxias, qui ipſi praefectus fuerat, ab Antiocho Rege deficiens regnum ſibi vindicavit, quod prius Arſabes avito, ac haereditario iure obtinuerat, & Xerſi fortaſſe filio reliquit.

Atque hactenus quidem hunc Regem a Poliaeno memoratum ego quoque vulgatum Poliaeni textum ſequutus *Arſabem* appellavi. Sed nullus fere nunc dubito,

(*a*) Pag. 26.
(*b*) Pag. 27.
(*c*) Pag. 399.

Digitized by Google

to, quin ille vero, ſuoque nomine *Arſames* appellari iam debeat. Etenim in pluribus aliis Poliaeni locis ubi depravate nunc legitur Ἀρσάβης *Arſabes*, ubique ſane Ἀρσάμης *Arſames* reſtitui debet; neque aliunde error in Poliaeni textum ſaepius irrepſit, niſi quod ex affini litterarum ſono exſcriptores ubique *Arſabem* pro *Arſame* exararunt. Certe Poliaenus *(a)* Arſamis Perſarum Satrapae Strategemata exponens ipſum quinquies *Arſabem* appellavit; cum tamen ille *Arſames* vocandus eſſet, non modo quod Vulteius Interpres *Arſamen* in ſuo Codice legerat, & *Arſamis* nomen in Capitum indice, qui Poliaeni Libro praefigitur, exprimatur; verum etiam quod idem ille Satrapa ab Herodoto non alio, quam *Arſamis*, nomine deſignatur. Quemadmodum ergo in iis Poliaeni locis ſolo Scriptorum vitio *Arſabes* nomen pro *Arſame* ſemper irrepſit; ita quoque vix ullus dubitandi locus ſupererit quin in ſuperiori quoque Poliaeni loco pro *Arſabes* verum *Arſamis* nomen reſtitui debeat; ut proinde novus alius *Arſames* habeatur, cui facile Froelichii Nummus Perſica vel Armeniaca tiara inſignis concedi, & *Arſamoſata*, urbis nomen, aut ab illo, aut ab alio ipſi cognomine deduci poſſit.

Ac certe quidem quod urbs illa, in qua Xerſes Antiochi tempore degebat, non *Armoſata*, ſed *Arſamoſata* vocanda ſit, ex Ptolemaeo *(b)*, & Tacito *(c)*, perſpicue apparet, a quibus nitide conſtanterque *Arſamoſata* vocatur; quemadmodum Tacitus ipſe *Arſametem* Armeniae fluvium ſemel iterumque memorat, qui facile ab *Arſame* quodam nomen obtinuit, ſicuti *Cambyſes* fluvius, & *Cambyſene* regio a *Cambyſe* nomen acceperat. Quinetiam vetus ipſa Pliniani *(d)* codicis lectio facilius hoc nomen confirmat, cum ibi *Arſamote* legatur: quae ſane vox ad *Arſamoſata*, quam ad *Arſamota*, propius accedit. Harduinus quidem hunc Plinii locum inge-

(*a*) Libr. VII. c. 28.
(*b*) Geogr. Lib. V. c. 13.
(*c*) Annal. Lib. XV. c. 10.
(*d*) Libr. VI. c. 9.

Digitized by Google

ingenio ſuo refingit, ibique *Armoſata* legendum aſſerit; non modo quod urbs illa ſic a Polybio vocetur; verum etiam quod in Mediceo M. Aurelii Antonini Nummo ΑΡΜΟΣΑΙΤΤΗΝΩΝ legatur. Sed, quod ad Polybii locum attinet, ego plane non video cur ipſius textus conſtanti Ptolemaei, Taciti, ac Plinii quoque teſtimonio praeferri debeat; cum praeſertim ſuſpicari fortaſſe quis poſſit *Armoſata* Polybii ab *Arſamoſatis* Taciti diſtingui poſſe. Certe Plinius aſſerit *Arſamoten Euphrati proximum* oppidum fuiſſe, *Tigri Carcathiocerta*; Ptolaemaeus autem *Arſamoſata* prope Taurum montem inter Euphratem, & Tigridem, ac Polybius inter amnes illos veluti mediam collocavit; unde, ſicuti in Armenia ipſa tum *Artaxata*, tum *Artaxiaſata* diſtinctae prorſus urbes habebantur (*a*), ita quoque facile tum *Armoſata*, tum *Arſamoſata* reperiri poterant; ut proinde nihil in Taciti, ac Ptolemaei textu corrigi poſſit, aut certe *Arſamoſata* Armeniae urbs expungi non debeat. Gravius eſt certe quod Holſtenius, Spanhemius (*b*), Cellarius (*c*), atque Harduinus ipſe ex M. Aurelii Nummo deduxit, in quo legendum putaverant ΑΡΜΟϹΑΙΤΤΗΝΩΝ, ſive ΑΡΜΟϹΑΤΤΗΝΩΝ; quamvis Harduinus hunc Nummum ideo ſibi ſuſpectum fuiſſe dixerit (*d*) *quod M. Antoninus Armeniam, aut Orientem non vidit, ſed L. Verus frater, qui ex ea cauſſa* ARMeniacus, PARThicus *appellatur*; *Marcus autem Antoninus* GERManicus, *&* SARMaticus *tantum, ex Occidente non progreſſus*. Quo certe loco, ut id obiter moneam, Harduinus praeconceptae iam opinionis ſtudio ita abripitur, ut in his omnibus perſpicue aberret. Quis enim ignoret Nummos Caeſaribus ab iis etiam Urbibus cudi conſueviſſe, quas ipſi nunquam inviſerant; adeoque prorſus immerito Arſamoſatenorum Nummum ideo in dubium

(*a*) Strab. Lib. XI. p. 528.
(*b*) Pag. 903.
(*c*) Geogr. antiq. Tom. II. p. 329.
(*d*) Emend. ad Plin. Lib. VI. n. 32.

bium vocari quod M. Aurelius nunquam Armeniam, aut Arſamoſatenorum urbem inviſerit? Ubi vero mox ſubdit Harduinus quod Lucius quidem *Armeniacus*, & *Parthicus*, ſed M. Aurelius tamen *Germanicus*, & *Sarmaticus* TANTVM *appellatur*, plurimis certe Lapidibus, ac Nummis ille revinci poteſt, in quibus M. Aurelius ipſe *Armeniacus* (*a*), *Armeniacus Parthicus* (*b*), *Armeniacus Medicus Parthicus* (*c*) vocatur; ac, ne exemplis ipſis hic immorer, quorum pleraque Harduini quoque temporibus vulgata fuerant, ipſo quoque Capitolini (*d*) teſtimonio deprehendiſſe poterat Harduinus quod M. Aurelii Antonini, & L. Veri auſpicio *geſtae ſunt res in Armenia proſpere per Statium Priſcum Artaxatis captis, delatumque Armeniacum nomen* VTRIQVE *Principum*. Quamvis tamen hic Aurelii Nummus, qui temere ab Harduino, levibuſque ſolum, ac falſis indiciis in dubium revocatur, ſincerus ſit; nihil eſt tamen quod ex illo exſculpi poſſit ut Armeniae urbis nomen ab Harduino propoſitum, atque emendatio in Plinii textu ab illo tentata defendatur. Etenim, ut Vaillantio (*e*) duce Harduinus ipſe iam noverat, in M. Aurelii Nummo non ΑΡΜΟϹΑΤΤΗΝΩΝ, ſed CAITTHΝΩΝ. ΕΡΜΟϹ *Saittenorum*. *Hermus* legi debet; ideoque Nummus non ad Armeniam, ſed ad Saittenos *Saittes* in Lydia urbis cives Hermo fluvio proximos, referri debet; & quidquid in ſuperiori Plinii loco Harduinus adnotaverat, perſpecto iam ipſius aliorumque errore expungendum erit. Haec autem omnia opportune obſervavi non ut quidpiam Cl. Harduino, admirabilis certe ingenii Viro, detractum velim; ſed ut verum urbis noſtrae nomen a Tacito, Ptolemaeo, & Plinio propoſitum aſſeratur; ſimulque exemplis etiam iſtis appa-

reat

(*a*) Vid. Muſe. Theup. p. 190. 194. 509. Geſn. Tab. CV. n. 45. 46. 47.

(*b*) Muſ. Theupol. p. 195. 569.

(*c*) Gruter. pag. 258. 260. & Murat. p. 240. 241.

(*d*) In Marco.

(*e*) Numm. Graec. pag. 56.

reat quam facile profecto ſit in obſcurioribus hiſce Nummis explicandis aberrare; ubi praeſertim peculiaris quaedam opinio praeconcepta iam fuerit, quae tacito quodam pondere abripiat ut ad illam uberius aſſerendam plurima, quamvis mire diſſita, referantur.

Illuſtre vero exemplum unum, aut aliud afferre nunc libet, ut Graecae quaedam urbes hactenus incognitae Nummorum praeſidio demonſtrentur, eiuſque induſtriae, ac laboris ſpecimen aliquod habeatur, quo iampridem centum fere & quinquaginta Graecas urbes alias inveni, quarum Nummi in Libris editi reperiuntur; ac ipſarum tamen nomen in accurata Populorum, ac urbium ſerie ab Harduino contexta deſideratur.

Eruditiſſimus D. Cary ita novam Regum illorum ſeriem, qui in Thracia, & Boſphoro Cimmerio imperarunt, diſpoſuit, ut in eximio prorſus ipſius Opere, quod ſuperiori anno 1752. in lucem prodiit, ſive penitioris hiſtoriae cognitionem, ſive Nummorum peritiam, ſive nitorem, & elegantiam ſpectaveris, nihil prorſus optari poſſit. Etenim ſingulos Regum illorum Nummos mire hactenus confuſos nitida certaque ſerie digeſſit, brevemque ipſorum hiſtoriam accurate nobis expoſuit. Itaque, cum is ad Cotym V. Thraciae Regem pervenit, ſingularem plane Nummum exhibuit (*a*) cuius ectypam imaginem a Cl. Richtero Electoralis Saxonici Muſei Praefecto acceperat, quippe qui Nummum ipſum vel ad Cotym V. vel ad cognominem alium Thraciae Regem ſpectaſſe crederet. Ac certe in antica Nummi facie Bacchi caput hedera coronatum conſpicitur; in adverſa vero Hercules ſtans clavam dextra demiſſam ſuſtinens. In dextra huius areae parte litteris ſuperne deſcendentibus legitur ΧΑΡΑΚΤΗ, in ſiniſtra ΚΟΤΥΟϹ. Quamobrem, cum Cl. Editor obſervaſſet utrumque Nummi typum eadem prorſus forma in Thaſiorum Nummis occurrere, ac Thaſum in-

 ſulam

(*a*) Pag. 76.

ſulam Thraciae proximam, Thracumque Regum imperio ſubiectam fuiſſe, felici nativaque coniectura deduxit quod Nummus ille in Thaſo inſula percuſſus, eique Cotyos in Thracia, ac Thaſo imperantis nomen inſcriptum fuerit. Hinc vocem aliam ita perſpicue certoque ſupplendam aſſerit, ut in ipſa legatur ΧΑΡΑΚΤΗΡ ΚΟΤΥΟϹ; perinde quaſi diceretur *Nummus Cotyis*, vel *Moneta Cotyos*, ſicuti in Romanis Nummis ſaepiſſime legitur *Moneta Augusti*, *Moneta Caeſaris*, *Moneta Urbis*.

Si tamen quidpiam doctiſſimi Viri ſententiae reponere liceat, eximium hunc Nummum neque ad Thaſios, neque ad Cotyn ullum Thraciae Regem; ſed ad *Chabactem* Ponti, vel Amiſenae regionis urbem ſpectaſſe cenſeo. Ac initio quidem obſervari velim quod ſolo ΚΟΤΥΟϹ nomine, ubi tum Regis titulus, tum effigies omittatur, non Rex, ſed Magiſtratus aliquis facilius indicatur. Optime quidem novi quod in aliis etiam Regum horum Nummis a Cary quoque prolatis non aliud, quam ΚΟΤΥΟϹ *Cotyos*, & ΣΕΥΘΟΥ *Seuthis* reperitur, iique Nummi ad eiusmodi nominis Reges referri debent. At in iis non ſolum, purumque nomen, ſed ipſe quoque Regum vultus, aut caput diademate ornatum conſpicitur; eoque indicio, vel nota ſatis exprimitur quod illa nomina non ad alios, quam Reges ipſos, referri debent. Ubi vero ſolum nomen occurrat, quis ad Regem potius, quam ad Magiſtratum, referendum eſſe demonſtret? Certe in Cumaeorum Nummo (*a*) legitur ΣΕΥΘΗΣ, in Lacedaemoniorum (*b*) ΑΓΕΣΙΛΑΟΣ, in Achaeorum (*c*) ΠΑΝΔΙΟΝΟΣ, nec tamen ullus, opinor, ibi *Seuthem*, aut *Ageſilaum*, aut *Pandionem* Regem agnoſcet. Deinde vero quis inſolita phraſi, quae ſane nuſpiam alibi occurrit, *characteris* nomine *Monetam* exprimi, aut in Graecis Nummis

(*a*) Muſ. Theupol. p. 1261.
(*b*) Geſn. Tab. 37. n. 9.
(*c*) Tab. XIV. num. 3.

Digitized by Google

mis *Monetae* nomen ipſius ſymbolis deſtitutum ſupponat; praeſertim cum in Latinis *Monetae* quidem nomen, ſed una quoque *Monetae* Deae vultus, eiusque ſymbola occurrant? Denique in ſingulis Thaſiorum Nummis inſulae, aut urbis nomen exaratum conſpicitur; nihilque cauſſae eſſe potuit cur in noſtro Nummo in ea areae parte, quae vacua erat futura, *character*, inſueta nempe, ac inutilis vox, inſculperetur; inſulae vero nomen, aut certe *Regis* titulus omitteretur. Ergo, niſi mea me fallit opinio, levi facilique mutatione vel ΧΑΒΑΚΤΗ, vel ΧΑΒΑΚΤΗΣ legi debet; eoque nomine non aliud, quam urbs illa deſignatur, in qua Nummus cuſus fuit.

Eiusmodi vero Graecam urbem Scriptoribus omnibus ignoratam in Ponto prope Amiſum collocandam eſſe ex aliis ipſius Nummis obſervavi. Etenim Haymus (*a*), & ex illo Geſnerus (*b*) Nummum profert, in cuius antica parte ſcutum octogonum ſquammis contextum, ac puellae faciem in umbilico exhibens reperitur; in adverſa vero Victoria gradiens ſiniſtra palmae ramum humero impoſitum, ac dextra coronam gerens cum epigraphe ΧΑΒΑΚΤΩ. Cum uterque typus etiam in Amaſtridis, Sinopes, & Amiſi Nummis occurrat, nullus dubito quin *Chabacte* urbs aliarum inſtar in Ponto collocanda ſit. Idem prorſus ex alio Nummo deduci debet, in cuius principe parte caput viri galeatum, in adverſo clava erecta cum vinculo, & epigraphe ΧΑΒΑΚΤ. Itaque, cum eadem Nummi facies, ac typus in Amiſi Nummo apud Geſnerum (*c*) habeatur, urbs Chabacte non alibi, quam in Ponto, agnoſci poterit; cum praeſertim Strabo (*d*) in Amiſena Ponti regione ΧΑΒΑΚΑ urbem memoraverit; ideoque in ipſius textu vel *Χαβακτη* vel *Χαβακτα* reſcribi poſſit,

I 2

(*a*) Tom. II. pag. 140.
(*b*) Tab. 83. n. 14.
(*c*) Tab. IX. n. 6.
(*d*) Libr. XII. p. 548.

ſit, ut ipſius textus cum nomine tribus hiſce Nummis inſcripto conſpiret. Quandoquidem vero Chabacte non in Thracia, ſed in Ponto reperiebatur, exinde quoque apparet quod *Cotyos* nomen non Thraciae Regem, ſed urbis Magiſtratum ſignificat; quemadmodum prorſus in plurimis aliarum urbium Nummis, ut Apamaenſium, *(a)* Agyrinaeorum *(b)*, & Epirotarum *(c)* Magiſtratus nomen ſine ullo titulo, vel dignitatis nota, & patrio quidem caſu ſaepius exprimitur. Quod vero Bacchus, & Hercules huic Nummo inſculpti fuerint, id unum oſtendit quod Heroes illi, vel Dii in Amiſena regione, vel Ponto colebantur, non vero quod Nummus ipſe ad Thaſios referri debeat; cum praeſertim eadem Bacchi *(d)* facies hederacea corona inſignis in Hiſpanicae quoque urbis Nummo occurrat; eiusque cultus in ſingulis fere regionibus floreret.

Quemadmodum vero ſuperior Nummus Graecae urbis nomen leviter depravatum exhibet; ita quoque, ſi nomen huic alteri inſcriptum rite emendetur, duas urbes alias oſtendet, quae ceteris adiungantur. In Muſeo Muſelliano *(e)* argenteus Nummus occurrit, in cuius antica parte caput mulieris turritum, in adverſa ſpica erecta conſpicitur cum epigraphe ΑΡΤΑΚΑΙΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Editor interpretatur *Metropolis Artacleorum*, quamvis in titulo legiſſet *Artaclu*, & Cl. Maffeius *(f)*, qui ſimilem Nummum in Gallia viderat, ipſum ad *Artacam* Parthiae urbem ſpectaſſe coniecit, quae ab Arriano *(g)* *Artacoana* vocatur.

Ego vero vix dubitem legendum eſſe ΑΡΤΑΚΑΙΩΝ, ideoque hunc Nummum ad *Artacem* Phrygiae urbem, ac

(a) Geſn. Tab. X. n. 32.
(b) Tab. 1. n. 20.
(c) Tab. XI. num. 1. 2. cc.
(d) Geſner. Tab. 85. n. 13.
(e) Tab. IV. n. 9.
(f) Antiq. Gall. pag. 111.
(g) Libr. III. c. 25.

Digitized by Google

ac Mileſiorum coloniam Straboni *(a)*, & Stephano memoratam referendum eſſe. Quamvis enim eius civis apud Stephanum Ἀρτακεὺς, vel Ἀρτακηνὸς, vel Ἀρτάκιος vocetur; facile tamen Ἀρτακαῖος etiam vocari ille potuit; quemadmodum gentilia haec nomina Nummis inſculpta a Stephani legibus ſaepius abludunt. Longe difficilius foret exponere cur *Artace* ipſa Cyzicenae regionis urbs *Metropolis* appelletur. Facile tamen aut Metropolis urbis honorem huic aliquando conceſſum ſuſpicari quis poſſit; aut certe potius cenſere *Metropolis* nomine urbem aliam indicari, quae cum *Artace* ſocietatis foedere coniuncta foret. Ac certe quidem in Phrygia ipſa urbem quandam *Metropolis* nomine vocatam reperiri teſtatur Strabo *(b)*, Athenaeus *(c)*, Plinius *(d)*, ac Stephanus, qui duas cognomines urbes in Phrygia memorat; quarum tamen altera non ad Phrygiam, ſed ad Ioniam, ſive Lydiam ſpectavit. Phrygiae huius *Metropolis* Nummus ab Holſtenio exhibetur cum turrito Matris Deum capite, & epigraphe ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣ *Metropolis Sacrae*. Itaque, niſi *Metropolis* nomine *Artaces* titulus intelligatur, in hoc uno Muſellii Numiſmate duarum Graecarum urbium nomina exſculpi poterunt.

In eodem illo Muſeo *(e)* Nummus aereus exhibetur, in cuius antica parte caput laureatum, in adverſa equus ſtans ſiniſtro pede anteriori elato: prope collum palmae ramus e terra aſſurgens; in dextra gyri parte ΑΝΙΝΗΣΙΩΝ, hoc eſt, ut Cl. Editor interpretatur, *Anineſiorum*.

Quum urbis huius nomen prorſus incognitum ſit, ſuſpicor aut in Nummo, aut in ipſius imagine mendum

(a) Libr. XII. p. 576.
(b) Loc. cit.
(c) Lib. XIII. c. 4.
(d) Lib. V. c. 29.
(e) Tab. IV. num. 4.

Digitized by Google

dum aliquod irrepſiſſe, adeoque facile legendum eſſe ΑΜΝΗΣΙΩΝ *Amneſiorum*; ut proinde Nummus ipſe ad *Amniſum* Cretae urbem referatur. Etenim, licet urbs illa ab Homero *(a)*, Pauſania *(b)*, Apollonio *(c)*, Strabone *(d)*, & Stephano Α'μνισὸς *Amniſus* vocetur, facile tamen a Scriptoribus aliis, atque incolis Α'μνησὸς *Amneſus* appellari illa potuit. Certe Homerus, Apollonius, & Strabo *Eilithyam*, ſive Lucinam ibi natam, aut cultam eſſe teſtantur. At Nonnus *(e)* hoc ipſum memorans *Amneſſum* urbem vocavit:

> Α'λλ' ὅτε Δικταίης κορυβαντίδος ὑψόθι πέτρης
> Γείτονος Α'μνησσοῖο λεχώιον ἔδρακεν ὕδωρ.

> *Sed poſtquam Dictaeae Corybantem ſuper petram*
> *Vicini Amneſſi puerperiam vidit aquam.*

Ita prorſus Heſychius *Eilithyam* ipſam non *Amniſiam*, ſed *Amneſiam* vocatam fuiſſe dicit; Α'μνησία. ἡ Ε'ιλίθυα. Itaque, ſi urbs ipſa fluvio, portu, ac Lucinae fano celebris Α'μνησος aliquando vocata fuit, eius cives Α'μνήσιοι vocandi ſunt, ideoque Nummus cum epigraphe ΑΜΝΗΣΙΩΝ ad illos referendus erit.

Haymus *(f)*, & Geſnerus in Virorum Illuſtrium *(g)* Nummis exhibent Nummum, in cuius priori facie viri vultus cum galea criſtata conſpicitur, in adverſa parte hircus ſtans cum epigraphe ΣΑΜΑΙΩΝ; idemque Nummus etiam in Muſeo Theupolo *(h)* deſcribitur, ibique *Samiorum* Nummus vocatur. At Nummus ille non ad

Sa-

(a) Odyſſ. L. XIX. v. 188.
(b) Attic. c. 18.
(c) Lib. III. v. 875.
(d) Lib. X. pag. 328.
(e) Dionyſ. Lib. VIII. ver. 114.
(f) Tom. II. pag. 72.
(g) Tab. II. num. 20.
(h) Pag. 1292.

Digitized by Google

Samum inſulam, eiuſque urbem *Samon*, ſed ad Cephalleniam, vel Samen inſulam referri debet, cuius princeps urbs erat *Same* a Thucydide (*a*), Livio (*b*), Plinio (*c*) memorata. Quemadmodum ergo urbs illa a Plinio, ac Livio *Same*, ita eius cives a Thucydide Σαμαῖοι, a Livio *Samei* vocantur; ideoque Nummus iſte ad *Samios* referri certe non poterit, quorum Nummi diverſo prorſus typo, veroque ΣΑΜΙΩΝ *Samiorum* nomine diſtinguuntur. Ita prorſus ad hanc ipſam *Samen* referendum arbitror Nummum, qui a Goltzio, Harduino, & Geſnero (*d*) ad *Samios* revocatur. In antica eius facie viri barbati vultus conſpicitur cum epigraphe CΑΜΕΙΩΝ ΔΗΜΟC; in adverſa Mercurius caduceum ſiniſtra, dextra marſupium tenens cum vocibus in gyrum diſpoſitis ΕΠΙ ΑΙΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕως: quod nimirum Urbs illa *Sacerdotis* nomen Nummis inſcriberet, ac Mercurium emporii praeſidem veneraretur. Quamvis autem *Samei* urbe diruta a M Fulvio Conſule ſub corona venierint, adhuc tamen Plinii aetate tria oppida habebant; ideoque in Nummo *Δῆμος Σαμείων Populus Samaeorum* vocatur.

Denique inter alios Antiochi Commagenorum Regis Nummos unus habetur (*e*) cum epigraphe ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ circa *Scorpium*, conſuetum nempe Commagenorum inſigne, diſpoſita. Nullus hic dubito quin urbis alicuius Scriptoribus omnibus incognitae nomen ibi deliteſcat. Quandoquidem vero in Antonini Itinerario ſemel iterumque ponitur (*f*) *Lacotena*, quae a Samoſatis, principe Commagenes urbe, 50. paſſuum millibus diſtabat, fortaſſe in Antonini, & Ammiani (*g*) quoque textu pro *Lacotena* reſcribi poterit *Laconate*, ſeu *Lacanate*.

Sed

(*a*) Lib. II. c. 30.
(*b*) Lib. XXXVIII. c. 28. 29.
(*c*) Lib. IV. c. 19.
(*d*) Tab. LIX. num. 3.
(*e*) Haym. Tom. I. pag. 110. Geſn. Reg. min. Tab. I. n. 23. Muſ. Theup. p. 1202.
(*f*) Pag. 210. 215.
(*g*) Libr. XXI. c. 11.

Digitized by Google

Sed a Minniſari, aliorumque Regum Nummis, quos illuſtrandos ſuſceperam, longius fortaſſe, quam par fuerat, aberravi. Itaque manum e tabula iam retraham, cetera opportunius traditurus ubi integram illam urbium Graecarum ſeriem exponam, quarum Nummi Harduino incogniti ex variis Scriptoribus affulſerunt.

F I N I S.

Digitized by Google